


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`




600028676Z



21/-

15

A short, but interesting, memoir of the learned author of this work is given in Nichols' Illustrations of the Literary History of the 18th Century I. p. 764, accompanied with Dr Burton's portrait.

[illegible]

[illegible]

Dr. Harris' autograph & stamp on the
back of the title page. D. L.

D/T
Dawson Turner
1827.

A rare book, which I have for 14 years been seeking in vain — The following note is in the handwriting of the learned [illegible] Norris, from the library the book came. He stands alone in [illegible] dog Latin. — D.T.

Natus est Joh: Burton
Anno 1696. ob. 1771. —

Note in Dr Parr's
Copy

" The Epistola ad Edw. Ben-tham, S.T.P. Coll. Oriel. Soc. à Johanne Burton S.T.B. Coll. Eton. Soc. printed in London, 1750, is not inserted in this Col-lection, made by Burton himself. It led to a violent dispute with Dr King, and is alluded to by Warton in the Triumph of Isis. The very learned Dr Butler, of Shrews-bury, lent me his copy, and he has also the witty answer of King." S.P. Evans's Sale Cat. 123.

OPUSCULA MISCELLANEA

METRICO-PROSAICA

JOHANNIS BURTON, S.T.P.

Collegii Etonensis Socii.

O X O N I I,

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO;

Apud JAC. FLETCHER, MDCCLXXI.

296946. d. 1.

Nov. 1805. 1 au.

R. NARES.


BN

LECTORI S.

OPUSCULA hæc fugitiva et disperſa jam demum in faſciculum collecta exhibemus; miſcellanea quidem illa et multiformia, genere toto diverſa, dictionis etiam figurâ atque colore diverſa. In hâc rerum farragine multiplici haud certè deerit illa quæ legentibus tædium imminuere ſolet, varietatis gratia; utinam etiam, in partibus ſingulis exequendis, et illa, quæ legentibus expectationem erigat et æmulationem, ingenii pariter reſpondentis commendatio accederet. Hæc tamen noſtra qualiacunque in juſtam Voluminis formam congeſta libenter Tibi in manus tradimus, benignitate freti tuâ.

A short, but interesting, memoir of the learned author of this work is given in Nichols' Illustrations of the Literary History of the 18th Century I. p. 764, accompanied with Dr Burton's portrait.

[illegible]

[illegible]

Dr. Harris' autograph & stamp in the
back of the title page. D.S.

SACRÆ SCRIPTURÆ

LOCORUM QUORUNDAM

VERSIO METRICA.

OPUSCULA MISCELLANEA

METRICO-PROSAICA

JOHANNIS BURTON, S.T.P.

Collegii Etonensis Socii.

O X O N I I,

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO:

Apud JAC. FLETCHER, MDCCLXXI.

296946. d. 1.

Nihil certe magnificum aut admirabile Lectoribus polliceri videtur prima pagina. † — Verum qui invidiam non movet, minus provocat censuram: ubi magna expectatio non concitatur, minus fallitur fides: apponetur certo lucro quicquid præter spem laudis accesserit.

Sentio quam difficile sit cuiquam de se suisve non arroganter dicere; at certe licebit sine invidia illam institutionem saluberrimam prædicare, quæ efficit, ut adolescentibus otii ipsius ratio aliqua constet, & vacatio Academica adeo non sit infructuosa, omnium studiorum penitus vacua, ut semper laboris cujusdam poetici onus quoddam secum unà trahat conjunctum; atque adeo hoc ipsum, quicquid est opusculi, horis hujusmodi subsecivis natum protulerit.

Collegii Præsidem emeritus Tutor tali te donat munere, quale posset non tam privati cujusdam obsequii, quàm solenne quoddam exemplum Disciplinæ nostræ communis exhibere, cujus famam omni laude tua privata potiorem semper duxisti.

Juvat Vice-cancellariatus tui memoriam revocare & in illius decursu labores tuos honestissimos prædicare, in pristina Academiæ disciplina asserenda, &, cum Præli Oxoniensis fama, Editorum quoque industria resuscitanda, haud infeliciter versatos. Atque hæc quidem eò libentius commemoro, cum cognoverim illo te tempore extitisse autorem Tuis, ut auderent aliquando ultra

† Sciat Lector Versiones insequentes desumi ex Delectu Exercitationum Poeticarum, quæ pro Disciplinæ solennis ratione Adolescentibus C. C. C. Oxon. longæ Vacationis tempore præcipiuntur elaborandæ: qui prodiit Oxoniæ, 1736.

nidum

nidum pennas extendere, aliqua vel ingenii ſui monumenta in communem aſpectum lucemque proferre, vel ſaltem alienæ laudis aſſeclas comiteſque in orbis literati celebritatem prodire.

Quum igitur permulta viderem in ſcriniis paſſim neglecta jacere, in diverſa materie, ſacra pariter & profana, in diverſo Metri genere, Epico, Lyrico, & Epigrammatico, diverſo demum Linguarum, Græco, Latino, ſimul & vernaculo idiomate à noſtris haud temere elaborata, quendam è meis Adoleſcentem idoneum, (quem benevolentiæ & honoris ergô à me nominari oportuerat) ſedulo hortabar, ut, quæ in manus venerant, ex iis ſuo quæque genere optima excerperet, refingeret, publicaretque; ita ut Domicilio ſeverioris literaturæ ſtudiis ſemper florentiſſimo aliqua inſuper literarum humaniorum, aliqua laudis cujuſdam, pene dixeram, novæ commendatio accederet.

Id vero operis inchoatum præloque jam commiſſum cum ille aliam ad provinciam ſubito evocatus deſeruiſſet, neque mihi gravioribus curis occupato otium ſuppeteret, aliiſque porro ad exequendum deeſſet voluntas, ex eo tempore pependit interruptum, hæſitque in curſu per decennium imperfectus labor. Incommode quidem accidit hæc Editionis ſuſceptæ mora; ita tamen, ut potius conſilia mea privata, quam expectationem publicam fefellerit. Dolebam ſane inceptum hoc laudabile, cujus aliquando hortator atque adjutor fui, prorſus intercidere: & cupiebam ſimul meliore digna

fato

fato carmina ab interitu vindicare. At vero tam multa, tam diverſa genere, tamdiu omiſſa repetere, & quaſi disjecti membra poetæ tam longe lateque diſtracta recolligere, mutilata reſtituere, Epigrammata, & id genus difficiles nugas retractare, ad varios demum ingeniorum de momenti levioris re utcunque eleganter laſcivientium luſus deſcendere, in tam multiplici ſimul & minuto labore verſari non hercle vacavit mihi, neque libuit. Verum id negotii ita potius ad me pertinere ſenſi, ut nec nihil, nec omnia mihi putarem conficienda; non ut ex materie undecunque corraſa juſti voluminis moles conflari poſſet, ſed ut inſtar omnium pauca quædam melioris notæ congeſta proferrem.

En ergo, quæ tuum ſibi nomen præſcriptum gerunt, poematum delectum; eorum præcipue quæ videntur operoſiora & proinde minus vulgaria: gratiam fortaſſe aliquam ipſa novitas conciliabit, pretium certe quoddam & venerationem arrogare debet illa argumenti ſanctitas tanta, piis Chriſtianiſque auribus digniſſima, qualis inſuper hominis Theologi legentis ſive etiam ſcribentis curas non ſine fructu exercuerit. Et profecto ſiquid omnino præclarum & admirabile in ſe habeat Ars Poetica, quod poſſit animum ſententiarum pondere & fulgore, aut imaginum vividiſſimarum varietate illuminare, percellere, delectare, vel affectus demum in omnem partem mirifice commovere, id omne, quantum quantum eſt, complectitur ſacra illa plena Deo dictante pagina, auctiuſque & illuſtrius exhibet uber-

tate

tate locupletatum ſua. Ecquis ergo Poeſeos ſtudio deditus veram appetit famam? facile videat quam præcipue viam inſiſtere oportet. En illum ſapientiæ divinæ theſaurum, unde nihil non vel ad uſum vel ornamentum depromi poſſit: en materiem, in qua digne exercitetur illa mens divinior, atque os magna ſonaturum: en demum id ipſum, quo nihil majus meliuſve affectare valet ambitio Poetica. Quamobrem cohortandi ſunt adoleſcentes ut ad hanc unice ſtudiorum metam contenderent, in hoc curriculo ingeniorum vires periclitarentur, nec certaminis difficultate perterriti aliò ſe ad nugarum faciliorum curas avocari paterentur, ſatis ſe eſſe aſſecutos rati, ſi ex cantilenæ cujuſdam facetæ forſan & obſcenæ, vel carminis amatorii elegantiis populares plauſus non fruſtra captaverint. Conceptuum quidem divinorum ſublimitatem dicendo adæquare arduum quiddam eſt humaniſque altius viribus: verum enimvero, quæ pro merito deſcribi & illuſtrari nequeunt, eadem, quà licet, optime ſtylo adumbrare, facultatis Poeticæ adeo non eſt infima laus, ut opus ſit longe pulcherrimum, nec minorem afferens ingenii quam pietatis commendationem. Eſt profecto laudabile id aggredi, quod conſequi poſſe eſt glorioſiſſimum: nec turpe eſt ingentibus auſis excidiſſe, ubi non indecore decertaſſe eſt quodammodo triumphi inſtar.

Maxime vellem me hoc, quod ſentio quam ſit maximum, potuiſſe non tam ſterili verborum præconio, quam exemplo commendare. Verum cum ita res ſit comparata

comparata ut plures in hoc, quam in alio quopiam ſcribendi genere, incidant defectus, æquum proinde eſt ut eoſdem tanto facilior comitetur excuſatio, quanto hac in parte antecellere eſt difficillimum. Habet enim ſacra Poeſis propriam quandam laudem cum difficultate haud vulgari conjunctam. Ea eſt ipſius argumenti ratio plane ſingularis, quæ ſcribentis animo reverentiam quandam & ancipitem injicit ſollicitudinem, ne aut omni ornatu Poetico deſtituta infra rei dignitatem languida ſubſidat deſcriptio, aut nimia decorandi licentia corrumpatur veritas: atque adeo ingenii audaciam quandam excitat ita tamen ut ſimul reprimat, poſtulatque vividi & erecti ſpiritus ardorem religioſi Interpretis modeſtia & fide caſtigatum.

Proinde ſiquid in operis hujuſce decurſu nobis exciderit minus perfectum, ſiqua in Dictionis ornamento incuria, æquiori hæc animo feret Lector benevolus, cum interea viderit in gravioribus curis, in ſententiarum nimirum vi & fulgore exprimendo, à nobis quiddam ſedulo & haud infeliciter attentatum.

Hæc adeo, fortaſſe nimis multa tantilla de re, præfanda duxi, ut intelligi poſſet quo conſilio fuerit inceptum, cur deinde tam ſero, & à me, abſolutum, & quid demum iſthoc eſt, quod tibi rite dedicatum ornavimus, opuſculi. Contingat modo placere Tibi, Tuis eſſe ſaltem non dedecori, Academicæ demum juventuti aliquatenus uſui eſſe. Siquid ſit in exemplo laudabile, ſtudioſis accendat æmulationem, ignavis excutiat tor-

porem;

porem; imo nec ipsi defectus suo careant fructu, dum ingeniis delicatioribus acumen criticum exercuerint. Si denique nostra hæc qualiacunque quoquomodo profuisse intellexerim, satis habeo, neque hoc meo quicquid est sive otii sive laboris mihi plane abusus videbor.

Quod Editoris munus hocce casus aliquando ad me detulerit, video quidem èxinde aliquid de operis destinati perfectione decessisse: verum hæc mihi non ingrata obtigit necessitas, quæ paulisper animum ad illa studia revocavit, *à quibus ego, nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruisse*; quidni enim liceat M. Tullii verbis uti, perinde ac exempli autoritate, hac præcipue in causa, quam ille tam præclare defendit, non unius modo Archiæ Poetæ, sed facultatis poeticæ Patronus disertissimus. Me quidem, utcunque rude jam donatum, haud piget antiquo iterum ludo paulisper includi: & vetera repetentem officia iterum inter Discipulorum cathedras versari, & in hoc juventutis meæ senio quodam repuerascere, &, quod pro more aut jure quodam suo factitant effœti & emeriti milites, pristina quodammodo certamina renovare, & præterita cogitatione recolentes vita priore frui.

Verum, ut, quod res est, loquar, hæc mihi occasio obtigit, eo potissimum nomine jucundissima, quod Te mihi quasi in via honoris ergô compellandum obtulerit. Næ ego me neque Tui neque mei ipsius adeo immemorem esse patior, ut non cupiam aliquod extare meæ erga te benevolentiæ, grati animi, & reverentiæ testi-

monium. Juvat in adolescentiæ tuis sub auspiciis traductæ memoriam redire ultimam: inde enim usque repetens video te mihi atque adeo Tuis omnibus extitisse optimum studiorum vitæque Ducem, Patronum, Moderatorem, consilio, beneficentia, autoritate, exemplo; & continuo ævi progredientis historiam comes sequitur tuorum recordatio beneficiorum. Hæc tibi semper adsunt non tam privatæ, quam publicæ vocis suffragia: en præconiorum instar omnium, Tuorum communis amor! Difficile quidem mihi est de te cogitanti vel tacere prorsus, vel in dicendo modum tenere, ita ut neque negligenter frigida, neque importune officiosa videatur oratio. Pro certo scias illam tantum abesse ab adulatione, quantum abest à necessitate. Vides quam libere & familiariter tecum egerim, dum hoc quicquid est epistolæ ita ornaverim, ut non tam Dedicationis, quam Præfationis speciem præ se ferat, non tam Patrono pro more honores ostentans suos, quàm Lectorem de opere instituto quædam submonens. Quidni autem, dum Lectorem alloqui videor, fas erit de te, tanquam absente, liberius dicere, &, quas tu solus omnium nescire videris, laudes non dissimulare? At vero, dum alii de nobis bona dicunt omnia, nostrasque te sospite, fortunas laudant, absit ut ipsi interim tanti immemores beneficii videamur. Imo potius ad posteros transeat hæc nostræ gratulationis memoria, quod eum virum Coll. Corp. Chr. tot annos sibi Præsidentem habuerit, qui in Academia continuo ita vixit, ut à

cultu

cultu divino vel Collegii sui negotiis *nullo unquam tempore aut commodum suum aut otium abstraxerit, aut voluptas avocârit, aut denique somnus retardârit :* cujus voluntas atque autoritas id habuit præcipuum, ut pietatis & literarum studia foveret usque & tueretur : cujus demum in moribus privatis nihil reprehenderit quisquam, nisi forsan id ipsum, quod etiam amaverit, & quod in plerisque habetur virtutum instar omnium, ingenii non pertinacis facilitatem, & teneritudinem quandam benignitatis. Scio nullam tibi minus placere, quam quæ de privatis, nec gratiorem esse ullam, quam quæ de Tuorum laudibus instituitur, orationem ; verum ego utrasque video cognatione quadam meritorum adeo inter se devinctas, ut Præsidis sui honores non invidendos testetur ipsa Collegii felicitas ; ita ut, quam sedulo vitare studes, ad te translata redundet gloria. Te quidem, Dignissime Præses, eodem ego, quo Tui omnes, animo intuens, ita alloquor ut Parentem propitium ; ambitiosa encomiorum ornamenta nec tua desiderat bonitas, neque meditatur genuina filiorum pietas, adulationis juxta ac timoris nescia, & frigidas verborum moras antevertit voti properantis ardor. Quare siquid veræ laudis afferant honestæ pro capitis pretiosi incolumitate preces, id omne tibi cumulatissimum afferunt nostræ. Tibi integram valetudinem, placideque decurrentis ævi honores diutissime conservet Deus ; & ad cætera virtutum tuarum testimonia sero accedat illud longe tristi-

 ssimum,

ſſimum, quod in amiſſi deſiderio continetur. Ita Coll. Corp. Chr. prout debeo, felicitatem comprecor maximam

Tibi

Multiplici honoris

Et grati animi

Officio devinctiſſimus

Dabam è Coll. Etonenſi
quinto Calènd. Jun. 1736.

JOHANNES BURTON.

ΨΑΛΜ. ρλζʹ.

ἩΜΕΘΑ δακρυχεοντες επ' Ευφρηταιο ῥεεθροις,+
Ως σεο ἡμετερον, Σολυμη, ποθος ἱκετο θυμον·
Τας δε λυρας κρεμοωμεν επι δρυσιν ὑψοθ' αφωνους·
Καδδ' ἡμεις φιλον ητορ ετηκομεθ' αλγεϊ λυγρῳ.
Ωδε δε Χαλδαιων ειπεσκε τις αγρια παιζων·
Αρχετε μελπομενοι, Σολυμηιδος αρχετ' αοιδης.
Ω ποποι, η ῥα Θεου επιμελψομεν ἱερον ᾳσμα
Βαρβαρικην κατα γαιαν; Εγω σεθεν ει λελαθοιμι,
Ω Σολυμη, και εμειο λελησμενος ειθε γενοιμην·
Δεξιτερη λυρικων μοι ετ' ειη αμηχανος εργων,
Πριν με τεου, Σολυμη, κυδους ἱεροιο λαθεσθαι.
Γλωσσα δ' ετ' αστεμφης και αναυδος ανα στομα ῥιγοι,
Ει μη εγω τογε σου, παντων ανταξιον αλλων,
Ουνομα μελπωμαι, χαιρειν οτε θυμος ανωγει.
Αλλα συ γ' ουρανοθεν, Πατερ, ἰπτεο ὑιας Εδωμου,
Οἱα γ' εκαγχαλοων, Σολυμης κατα δουλιον ημαρ,
Βαλλετε κακκονιην, προθελυμνους ἑλκετε πυργους.
Ω Θυγατερ Βαβυλωνος, οϊζυρη περι πασων,
Ολβιος, ὁς κακα σοι γ' αποτισεται, ὁσσα μ' εοργας·
Ολβιος, ὁς τισων εμα δακρυα, νηπια ῥιψει
Τεκνα, ποδος τεταγων, ποτι λαϊνον ουδας αγυιων.

PSALM.

+ Cur accentus omittuntur, v. pp. 168—179.

PSALM. CXXXVII.

SEDIMUS juxta Babylonis undas,
Flebilis, captiva cohors: tuique,
O Sion, dum corda recens subiret
Tristis imago,
Flevimus multum; pius in sequaces
Lacrymas fluxit dolor. O laborum
Dulce lenimen, lyra, jam vale dam-
nanda salictis,
Nec loquax posthac, neque grata! — Dum sic
Hæsimus flentes, age, Victor urget,
Perfidum ridens, age, quis Sionis
Concinet hymnum?
O Deus! quî nos tibi dedicatum
Carmen hostili modulemur urbe? &
Audiat sacra melos aure dignum
Barbara tellus?
Ah! tui me siqua dies honoris
Cernat oblitum, Solyme, canori
Immemor plectri stupeat perenni
Dextra veterno.

Faucibus ſiccis mihi lingua ſemper
Hæreat, ni rite memor Sionis
Uſque votivo recinat ſacratas
Carmine laudes!
Funditus muros rape, perde, noſtris
Dixit illudens lacrymis Idume.
Audin', O vindex Pater, audin' hæc? et
Fulmina ceſſant?
Teque devotam ſimili ruinæ,
Urbium Regina potens, viciſſim
Te triumphatam, Babylon, manebunt
Fata Sionis:
Illa tum plaudens, age, macte quiſquis
Neſcios fari pueros trucidas;
Macte Judæi patiens vocari
Nominis ultor.

DAVIDIS THRENODIA.

2 Sam. cap. I.

OCcidit heu! Patriæ decus; ingenteſque cadentum
Heroum fatalis habet Gilboa ruinas!
Comprimite, o venti, crudelis murmura famæ!

Ne

Ne fors ne qua tuos, O Patria, forte dolores
Improba garrulitas hoſtilibus invehat oris:
Ne ſævo male læta joco Philiſtia noſtris
Illudat damnis: ne barbara terra ſuperbum
Erigat e noſtrâ ſurgentem clade triumphum.

Triſte ſolum, Gilboa, O tantæ conſcia ſtragis,
Æterni lacrymoſa geras monumenta doloris,
Infenſum paſſura Deum! ne fertilis imber,
Roſcida ne foveat ſitientes guttula terras:
Sed cœli pluat ira ſuper, ſteriliſque ruinæ
Funeſtus campis ſquallentibus incubet horror!

Scilicet his campis ingentia fulmina belli
Incaſſum cecidere, et inulto funere Saulum
Abſtulit atra dies. — Heu! quid divinus olivi
Juvit honos regale caput? quid ſacra cadentem
Majeſtas — O fama ingens invictaque bello
Dextera! non illi quiſquam ſe impune tuliſſet
Obvius armatæ. Quas tu, Jabeſha, videbas
Ammonidum ſtrages? et tu, Philiſtia, quantas
Fleviſti pavitans ſeptena per oppida clades?

Te quoque bellorum comitem, Jonathane, ſagittis
Inſignem jaculoque levi, patris æmulus ardor
Impulit et pietas. — O quanti in bella ruebant!

Quantos

Quantos contempti per mille pericula lethi
Ira tulit generoſa, et vitæ prodiga virtus,
Fortior ungue leonum, aquilæque citatior alâ ?
His amor unus erat, junxitque ſimillima morum
Gratia concordes animas, dum vita maneret ;
Hei mihi ! nunc etiam communi funere junctas !
O, queis purpureæ, Saulo præbente, fluebat
Veſtis honos, Tyriæque aurata ſuperbia lanæ,
Nymphæ, Judææ Nymphæ, jam ferte jacenti,
Ferte pium domino mœſti vectigal honoris,
Regia pullato decorantes funera luctu !
O Dolor ! O quonam fatalis crimine belli
Fortia nequicquam crudeli pectora letho
Projecere animas ! nec te tua plurima texit
Labentem virtus. — Heu celſos irrita virtus
Fuſa ſuper montes ingentibus excidit auſis.
Ante diem, Jonathane, cadis !
Te ſuper, O frater, tenero mihi corda dolore
Ægra recrudeſcunt ; tua ſenſibus inſidet imis
Flebilis O ſemper, placituraque ſemper imago !
Heu pietas ! heu rara fides ! ſublataque tecum
Gaudia ! et O noſtro reſpondens pectus amori,
Pluſquam virgineo reſpondens pectus amore !

O Dolor! O quonam lacrymosi crimine fati
Procubuit victis heroibus irrita virtus;
Grandiaque incassum ceciderunt fulmina belli!

Ψ Α Λ Μ. μϛ'.

ΑΜΜΙΝ αυτος αμφιβαινει αποτροπαιος πηματων
Θεος απ' ουρανοιο, κιων αστραβης σωτηριας·
Τουνεκ' ατρεστοι μενουμεν ευ πεποιθοτες φρεσιν,
Καν περ αρχαιων ὑπ' εκ γης σχημα ῥηγνυσθεν πεσοι
Πυθμενων· καν βυσσοθεν τοι γ' ουρεων θεμεθλια
Ες θαλασσην συν ταραγμω προπροκυλινδωνται μεσην·
Καν ὑπερβιων δυσηχες κυματων βρυχοι σθενος,
Καν πετρων καρηνα μακρων ὑπο κλυδωνι ποντιω
Ὑποτρομωσι, βενθεων απ' εσχατων σεσεισμενα.
Ω μακαρ πολις Θεου, συ δ' ἡδονων βεβρεγμενη
Ρευμασιν τερπνοις χαρηση. Κειθι γ' ὑψιστου Θεου
Αφθιτον σκηνωμ' εν ἱεροις εγκαθισταται μυχοις·
Κειθι προστατης φυλασσει καμμεσην Θεος πολιν,
Πολεμιων βιην ερυκων· ἡ δε τ' ασαλευτος μενει·
Εξανεστη πασα γαια, κἀταρασσετ' αινοθεν·
Αλλ' ὁτ' ὁμοκλεσασκε βροντης Θεος εν οπι, πεφρικε χθων.
Αμμι συμμαχει και αυτος Θεος, ὁ πατρωος Θεος

Ερκος

Ερκος αμμι παγκρατιστον νωλεμες παρισταται·
Δευτε λαοι, δευτε παντες, λευσσεθ' οια θαυματα
Ρεξεν εν χθονι παντοκρατορος χειρ ὑπερμαχος Θεου·
Οὑτος επι γης περασι πολεμου εργον αμπαυσεν βαρυ,
Οὑτος εξεθλασσεν ὁρμην εγχεος δολιχοσκιου,
Τοξα τε συνεκρουσε, κηλεῳ θ' ἁρματ' εφλεξεν πυρι.
Ησυχαζε γαια, Με Θεον ευσεβως φοβουμενη·
Εθνεων ω φυλα παντων προσκυνειτ' εμον κλεος,
Καμον εν σιγᾳ τρομειτε το πανυπερτατον κρατος.
Αμμι συμμαχει και αυτος Θεος, ὁ πατρῳος Θεος
Ερκος αμμι παγκρατιστον νωλεμες παρισταται.

PSALM. XLVI.

AT tu triumpha rebus in asperis,
Dilecta tellus, cui vigilis Dei
Tutela præsens e propinquo
Præstat opes animosque cœlo:
Si fractus orbis corruat intimo
Divulsus a fundamine, si vagos
Depressa mirentur tumultu
Littora cum subito moveri

Montes in æquor diſſociabile:
Et ſi tumentes horriſonum mare
Attollat iras, montiumque
Quaſſa ſuper capita alta nutent:
At te caduci, te non pavidam ferit
Ruina mundi: dia tibi Salus,
Et Fauſtitas affuſa circum,
Flumen uti recreante lympha
Ripas ſerenans. Scimus ut in tuas
Cæleſtis aras ſpiritus incubet,
Suoque plenam numine hoſpes
Ipſe Deus tueatur urbem.
Tumultuantur regna rebellia,
Fremuntque Gentes. — Intonuit Deus
Iratus, et compage rupta
Diſſiliit liquefacta tellus.
Plaudat triumphans Abramidum genus,
Cui perbenigno numine præſidet,
Paciſque et armorum ſupremus
Arbiter, omnipotens Jehova.
Videtis? O quæ cladis inhorruit
Imago? terras jam videor gravi

Videre

Videre disjectas ruina,
  Ima Deo quatiente rerum.
Illum vibrati fulguris ignibus
Currus cremantem, ſpiculaque, et graves
  Haſtas refringentem tyranni
    Compoſitis venerantur armis.
Dixitque tandem bellipotens pater:
Tellus ſileto; ſupplice me Deum
  Agnoſcito cultu, timendum
    Me populis ducibuſque Numen.
Plaudat triumphans Abramidum genus,
Cui perbenigno numine præſidet,
  Paciſque et armorum ſupremus
    Arbiter, omnipotens Jehova.

MOSIS EPINICION.

Exod. cap. 15.

FAS ſit canenti tergeminis Deum
  Belli potentem tollere laudibus,
Qui victor æternos honores
  Niliaco meruit triumpho.

Vindex

Vindex tyrannorum ille minacium.
Inauſpicatos reppulit impetus,
  Late ſuperjecto fugaces
    Merſit equos equiteſque ponto.
Salutis autor, dulce decus meum,
Votiva ſupplex templa tibi ſtruam,
  Nomenque laudabo timendum
    Gentibus, Oceanoque rubro.
Videre magnos jam videor Duces
Trahentis ad ſe cuncta voraginis
  Sinu laborantes profundo,
    Et trepidum Pharaona ſegni
Curru frementem. Diluvies ſuper
Urget ruinas; et, lapidis modo,
  Ad ima ſidentes reſorbens
    Unda freto rapit æſtuoſo.
O clade quanta contudit hoſtium
Quantas phalanges armipotens Pater?
  Seri recenſebunt nepotes
    Mirificæ monumenta dextræ:
Disjecta retro plus vice ſimplici
Ceſſit rebellis turma, ſimul tua

Exarſit

Exarſit ultrix ira, qualis
Flamma levi metuenda culmo.
Erupit acer naribus halitus;
Repente concreto liquor æquore
Suſpenſus hæſit; ſegregatas
Eurus agens glaciavit undas.
Dixit Tyrannus, quidlibet impotens
Sperare, dixit, perſequar, aſſequar,
Et ſubjugatos luctuoſâ
Cæde Duces, populoſque perdam.
Tuus ſequaces Spiritus infremens
Afflavit undas; Arma, Viros retrò
Abſorpſit, ut plumbum cadentes,
Reflua congeries aquarum.
At, O! Deorum quis ſimilis Tibi?
Aut quis ſecundus? fulgida conſpici
Te Sanctitas veſtit, tremendum
Te Decus omnipotentis iræ.
Mirum vibravit dextra minaciter
Exerta ſignum: jam liquidos ſinus
Diducta tellus, et refuſa
Niligenas ſepelivit unda.

Nobis reducti trans maris arida
Novum negata Ductor iter viâ
Reclusit, ad certos triumphos
Expediens per acuta Lethi.
En! Rumor aures antevolans ferit,
Et corda pulsans subsequitur Pavor;
Cerno Palæstinam frementem
Insolito trepidare motu.
Perculsa cerno regna. Quis occupat
Duces Idumæos tremor? en! vigil
Horrescit extremas ab alto
Prospiciens Moabita turmas.
Adversa latè castra micantibus
Horrere telis vidit, et hostium
Impune victrices catervas
Marte novo peritura vidit
Hethæa tellus. Ut Stupor insidet
Vires resolvens, et silicis rigor
Contracta stringens corda, pressoque
Ore furens taciturnus Horror!
At Nos, viarum Te duce et auspice,
Impune per deserta, per humida

Transimus. — O! promissa salve
Terra, novos habitura cives!
Hic præter omnes charior hospiti
Sedes Jehovæ: Collis ibi sacer,
Cultuque solenni verenda
Plena Deo propiore Templa.
Reges in ipsos imperium Dei
Agnoscet ætas ultima, et ultimæ
Gentes adorabunt Jehovam
Niliaco celebrem Triumpho.

ΔΕΒΒΩΡΑΣ ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ.

ΚΡΙΤ. ε΄.

Κεκλυτε μου, βασιληες, επιχθονιοι τε τυραννοι,
Οφρ' ειπω τα μ' ανωγεν ενι φρεσιν ενθεος ὁρμη·
Φθεγξομαι οἱς θεμις εστιν ὑπερμαχου εργα Θεοιο,
Ος μεγα Αβραμιδαισι φοως και κυδος εδωκε·
Χωομενος δ' εχθροισιν επεμβαλε χειρα βαρειαν,
Καδδ' αυτους εδαμασσεν εν αινη δηϊοτητι.
Ως ποτ' Ιδουμηθεν μεδεων κατ' ορεσφι Σεειρος
Ηιε μακρα βιβας, κατα δ' ουρανος ασπετον ὑδωρ

Λειβομενον καθυπερθεν εχδατο, νερθε δε γαια
Σειετ' ορινομενη, Σιναϊα τ' ετρεμεν ωρη
Ποσσιν ὑπ' αθανατοισιν επειγομενοιο Θεοιο.

Ω ποποι, η μεγα πενθος εφικετο πατριδα γαιαν,
Και νυ κεν ολλυμεθα κακως κακοι ηματι κεινῳ
Εξ ὃ δη τα πρωτα δικασπολος εμβασιλευε
Σαμγαρος Αναθιδης, δημῳ τ' επετελλε θεμιστας.

Τις δ' αρα τονδ' ἡμιν πολεμον πολυδακρυν ενωρσεν;
Υψιμεδων Θεος αυτος· ὁ γαρ λαοισι χολωθη,
Αλλοδαπων ὁτι δαιμονιων αμενηνα καρηνα
Βωμοις ηδ' ἱεροισιν ετιμησαντο θ' ὑπερ αισαν,
Ουδε Θεον σεβασαντο πατρωϊον ὑψιμεδοντα.

Τουνεκ' εφυβριζων απερεισιον αλγος εθηκεν,
Εχθροισιν μεν εδωκε μεγα κλεος, αμμι δε πενθος,
Και κρυοεντα φοβον· τρεσσαν δ' ανα δωματα λαοι·
Καδδ' ελιπον κωμας σων κτημασιν εμποροι ανδρες·
Αψ ὁρεων ειρπυζεν ὁδοιπορος, ηϋτε κλεπτης,
Λαθρα θ' ὁδων ανα δυσβαθ' ὑπεκφυγε κηρ' αλεεινων.
Ουδε τις εκ βουνου πολυπιδακος ηλθεν απημων
Δουλος ὑδωρ φορεων, αλλ' αυθις αποδραμεν εχθρων
Ουταμενος βελεεσσιν, ὑδωρ δε οἱ εκπεσε χειρος·
Ουδε τις εις αγοραν πωλεσκετο κυδιανειραν,
Αλλ' οικοι κατεμιμνε, και ὁν φθινυθεσκε φιλον κηρ·

Ουδὲ τις Ηγεμονων αμφιβροτον ασπιδα νωμαν
Αντιβιην τετληκε, και οβριμον εγχος αειραι·
Αλλ' αὔτως αφαρ ἔζετ' αλυσκαζων πολεμοιο.

Και νυ κεν αν μοι πατρις απωλετο πηματι λυγρῳ
Οιτον αναπλησασα κακην και δουλιον ημαρ,
Ει μη εγω Δεββωρα γ' ανεστην, δια γυναικων,
Οἷα φιλων μητηρ επαμυνομενη περι τεκνων.
Δη τοτ' εγω, προφρασσ' επεσιν και χερσιν αρηξαι,
Ες πολεμον συνεγειρομενας ὤτρυνα φαλαγγας·
Επραχθη δὲ μεγιστα, καὶ ασπετον εἵλομεν ευχος.

Ω φιλοι Ηγεμονες, ὅσοι περι πατριδος αιας
Μαρναμενοι θυεσθε ανα πτολεμοιο γεφυρας,
Χαιρετ', ω ἡμετερῳ κεχαρισμενοι εξοχα θυμῳ.

Σκηπτουχοι λαων ἡγητορες ηδὲ μεδοντες,
Παλλευκοις επ' ονοισι φορουμενοι, οἵκε πυλησιν
Ιζετε δημογεροντες, ὅσοι τε περ εμποροι ανδρες
Βαινετε νυν ανα χωρον απημονες, ειπατε παντες
Μυθοις ηδ' ὑμνοισιν επιρροθου εργα Θεοιο,
Οσσα περ ἔῤῥεξεν ταλασιφρονι λαῳ αμυνων.
Ηνιδὲ γαρ πολεμοιο δυσηχεος εργα πεπαυται,
Νικη δὲ χρυσεαισιν επικροτεει πτερυγεσσι,
Παρ, δὲ οἱ Ειρηνη χαριεσσα και Ολβος οπηδει,
Και Θεμις ὡς το παλαι χρυσοθρονος εν πυλεωνι

Αισιμα θεσμοθετει· αταδυσι δε παντοθι λαοι
Φυλαδον εις αγορην, περι δ' αυ χαιρυσι πολης.

Εγρεο, ω Δεββωρα, και αγλαυ αρχε θριαμβυ,
Αντιανειρα γυνη, λιγυρην εντυνον αοιδην,
Μελπομενη βασιληα θεων μεροπων τ' ανθρωπων.

Εγρεο αλκιμε υἱε δαϊφρονος Αβινοαο,
Εγρεο, δυσμενεων τε καρηατα δυριχτητων
Πομπευων αναφαινε δια πτολιν ευρυαγυιαν·
Λαοι δ' εισοροωντες ὑπερκεχαροιατο θυμῳ.

Δευτε Θεον μελπωμεθ' ὁυ κρατος εςι μεγιςον,
Ος βριαει τα ταπεινα, τα δ' αυ βριαοντα ταπεινοι·
Ος κε μοι ενθαδε κυδος ὑπερτατον εγγυαλιξε,
Δωκε δ' αριςευειν, και ὑπειροχον εμμεναι αλλων
Εν βυλῃ πολεμῳ τ'. Εμε δ' εξοχα λαος ετισεν,
Ηγεμονες τε μοι αμφι παρασταδον ηγερεθοντο
Εις αγορην· μετα τοισι μετεπρεπε κυδεϊ γαιων
Αβινου κλυτος ὑιος· ὁ δ' ες πεδιον κατ' ορεσφιν
Ωρνυτο πεζος εων, ἁμα μυριοι ανδρες ἑποντο,
Οἱς Θεος εν ςραπιδεσσι μενος και θυμον ενωρσε
Νωλεμεως πολεμον πολεμιζεμεν· Αιθε γ' ἁπασιν
Οὑτος ενι ςηθεσσιν ενειη θυμος αγηνωρ.

Ω πεπονες, κακ' ελεγχε', αναλκιδα θυμον εχοντες,
Τιφθ' ὑτως εςητε πεφυζοτες; αλλα τι σε χρη,

Ω Ρυβην,

Ω Ρȣβην, οἵων βληχην αἴοντας καθησθ;
Πατριδος ολλυμενης οτ᾽ επεβρεμεν ȣασιν ηχη;
Τιπτ᾽ εμενεν Γιλεαδος Ιορδανȣ αμφι ῥεεθρα;
Χὠ Δανος γ᾽ επι νηυσιν εχαζετο ποντοποροισι;
Καδδ᾽ Ασηρος εβη παρα θιν᾽ ἁλος ατρυγετοιο;
Ζαβȣλων και Νεφθαλιος πολυ φερτερω αλλων
Εϛητην ψυχας παραβαλλομενω πολεμιζειν
Εν πεδιω, ὁθι πλειϛε μαχη δεμμεια δεδηεν.
Αλλ᾽ ιεναι πεδιονδε μεγας εμε θυμος ανωγει
Οφρ᾽ ιδω οβριμα εργα δυσηλεγεος πολεμοιο,
Μεσσηγυς Θαναακα Μεγιδδȣ θ᾽ ἱερον ὑδωρ.
Ενθ᾽ ολοον Σισεραο θορεν μενος, ηδ᾽ επικȣροι
Ωρμησαν βασιλεις, μνησαντο δε θȣριδος αλκης,
Ανδρασι παυροτεροισι φονον και κηρα φεροντες·
Καρπαλιμως δ᾽ εμαχοντο, και εκπαγλως απολοντο.
Φευ φευ παντοθι παντα βιην Σισεραο δαμασσεν·
Αϛερες αντεμαχοντο κυλινδομενοι κατα ταξιν,
Κ᾽ ȣρανος εκτυπ᾽ ανωθε παραισιμα σηματα φαινων,
Κ᾽ αυτος ὁ τερπικεραυνος ερεμνην αιγιδα σειεν,
Σμερδαλεον δ᾽ αραβησε βαλων πτεροεντα κεραυνον,
Καδδ᾽ ἱππȣς εταραξε και ἁρματα σιγαλοεντα·
Ενθα τε λοιγος εην, Σισεραν Σισεραο τε λαον
Θεσπεσιη εχε φυζα, τρομος τε μιν ελλαβε γυια,

Ουδ᾽

Ουδ' ἐτι σφας ετι πολεμιζειν θυμος αγηνωρ·
Αλλ' εφυγον συμπαντες ὁμιλαδον· ωρτο δ' αϋτη
Ανδρων, οἱ κεν ολοντο συν ἱπποισιν και οχεσφι,
Πρηνεες ες Κισωνα πεσοντες· τους δε βαθυρρους
Κισων εξαλαπαξεν ατυζομενους κατα δινας,
Κισων ὠ'ρχαιος, ποταμων προφερεστατος αλλων,
Οἱ προχεουσιν ὑδωρ καλλιρροον εις ἁλα διαν.

Χαιρε μοι, ω ψυχη, και αριπρεπες αιρεο κυδος,
Λαμπρον καζε θριαμβον αγαλλομενη περι νικης·
Ποιον γαρ ποσον τε μενεπτολεμων σθενος ανδρων
Ποσσιν ὑπο σιδαροις επατησα δαμωμενον εμπης;

Ηεριος κατεβη, και ανεκραγεν ουρανοθι προ
Αγγελος Αθανατου, κρατερας δ' επετελλεν επαρας·
Δευτ' αγε! εχθιστην συγκραις ατησι Μερωζαν
Περθετε, περθετε λαον ὑπερφιαλον και απιστον·
Σχετλιοι, οἱ ταρβησαν εναντιβιως μαχεσασθαι,
Τειρομενοις θ' ἑταροισιν αμυνεμεν αιπυν ολεθρον.

Αλλα συ γ' Ηβηρου Ιαηλη, δια γυναικων,
Χαιρ', ω ὑπερ πασων συ μακαρτατη, ὁσσαι αριστη
Εἱατ' ενι κλισιησι τεταρπομεναι φιλον ητορ.
Τις γαρ ὁγ' εστιν ανηρ ὁς ανεδραμεν οιοθεν οιος
Δευρο σοι ες κλισιην, κεκμηκοτι φωτι εοικως;
Η Σισερας μεν ὁγ' εστι πελωριος οβριμοεργος,

Εκ

Εκ πολεμοιο φυγων· ὁ δ' επος τ' εφατ' εκ τ' ονομαζεν·
Υδωρ νυν μοι αειρε, φιλη γυνη, οφρα πιωμαι,
Διψη γαρ μοι ελυσε μενος, και φαιδιμα γυια.
Ως ολιγοδρανεων επεσκε κακοξενος Ηρως·
Τον δ' αγανοις επεεσσιν ερητυε ηδε και εργοις,
Λαμπρως ξεινοστασα, δολου δ' ου ληθεο παμπαν·
Παρ' δε πιειν επιθεις λευκοιο γαλακτος αωτον
Χρυσεῃ εν λεκανῃ· ὁ δ' εδεξατο δωρον αδωρον
Ασμενος, ουδε πω οιδε γυνη ὁ, τι μηδετο εργον.
Αλλ' εις ὑπνον εκλινθη, απειρμονα, νηγρετον ὑπνον.
Ηδη γαρ μιν μοιρα δαμασσεν αεικεϊ πληγῃ
Αντικρυ κροταφοιιν γε πεπαρμενον οξεϊ γομφῳ.
Τυπτομενος παρα ποσσιν εκυφθη, επιπτεν, εκειτο
Αμφιπεριστρωφων το πανυστατον, ουδε ερεισθη
Υπτιος εν κονιῃσι μεγας μεγαλωστι τανυσθεις.

Αλλα φιλη Σισεραο γυνη και ποτνια μητηρ
Πυργου απ' ηλιβατου πεδιον δια παπταινουσαι
Νικητην παρεμιμνον ὑποτροπον εκ πολεμοιο.
Ωδε γυνη δ' επεσκεν ιδουσ' ες μητερα ποτναν,
Τιφθ' ουτως οκνουσιν αεθλοφορων ποδες ἱππων;
Τιφθ' ουτως ὑπερ αισαν εΰξοον ἁρμα βραδυνθη;
Αλλα τιη μοι ταυτα φιλος διελεξατο θυμος;
Η ῥα γε μαρναμενοι νικησαιν θ' ὡς τω παρος περ,

Και

Και ταχα νοϛησεσι φιλην ες πατριδα γαιαν,
Αθλοφοροι παντες, κειμηλια πολλα και εσθλα
Δασσαμενοι χαλκον χρυσοντε και ἰφια μηλα
Ληϊαδας τε γυναικας, ἑλων ἁς θυμος ανωγει.
Αλλα το μεν Σισερα γερας εσσεται εξοχον αλλων,
Πορφυρεαι χλαμυδες τε και εἱματα, εργα γυναικων
Σιδονιων, χρυσω πολυδαιδαλα παμφανοωντα
Οἱα πρεπει βασιληα κεκασμενον εἱνεκα νικης.

Νηπιη ἡ φραζεσκεν ἁ ϰ τετελεσθαι εμελλεν·
Αιθε γαρ, ϰρανοθεν μεδεων πατερ, αιθε γαρ, εμπης
Δυσμενεων πανδημος ὁμοιην μοιραν επισποι·
Ευσεβεων δε θεω πεφιλημενος εξοχα λαος
Παντοθ' επικρατεοι αλκη και κυδεϊ γαιων
Ως ὁταν ἡελιος μεσον ϰρανον αμφιβεβηκεν,
Εσκιδναντο νεφη και εφαινετο ενδυμιος αιθηρ
Φεγγϰς λαμπομενοιο, γελαοσι δε πασι περι χθων.

DEBBORÆ EPINICION.

Judic. cap. 5.

O Quas rependat sospes ab hostibus
Plenas honorum patria vindici
Grates Jehovæ? — me canentem
Prœlia, me celebres triumphos,

Sacro canentem digna silentio
Audite, reges. — Surge potens lyræ,
Debbora, votivumque carmen
Ingemina graviore plectro.

At O! tremendum quis parili Deum
Sequatur audax carmine, dum super
Montes Idumæos tonantes
Egit equos, voluceremque currum;

Quo bruta tellus atque adamantina
Soluta mundi fabrica, quo Sina
Concussa nutavit, vagique
Desuper intremuere colles?

Quid ista fervent bella? — Novos, suum
Spernens Jehovam, terra colit Deos;

Hoc fonte derivata clades
Dura premit populum rebellem.
Ergo ſacratis ſedibus exulem
Vidit Jehovam Shamgar Anathides;
Et perfidis derepta vidit
Militibus ſine cæde tela.

Vos O, ſacrato quos venerabiles
Honore ſpectant oppida candidis
Vectos aſellis, vos, periti
Solicitæ dare jura plebi,
Laudes Jehovæ dicite; qui ſuis
Belli ſecundos reddidit exitus,
Legeſque, jam portis apertis,
Et veteres revocavit artes.
Quà multiformi clade ſagittifer
Oppreſſit agros hoſtis, ibi viget
Jocoſa Libertas, Honorque et
Ore Quies reticens ſereno.
Quàm nunc, ſub umbra fluminis ad caput,
Aut in reducta valle, revolvere
Juvabit immunes pericli
Dura fugæ mala, dura belli?

Antehac nefas attollere libera
Cervice vultum: degenerem pavor
Stravit popellum; vox tubarum
Attonitas tremefecit urbes:
Antehac viator tramite devio
Repsit tremiscens, hostis ut insolens
Impune desertos per agros
Explicuit sua victor arma.

Cum sic jacebas, Patria, flebili
'Devota cladi, non sine numine
Debbora surrexi, ruentis
Grande decus columenque regni.
Jam tum superbas contudimus minas
Hostilis iræ: me duce, pristina
Virtus reviviscens ab ipsis
Duxit opes animosque damnis.
Milesne, turpi languidus otio,
Cessit relicta non bene parmula;
Et nominis, laudisque avitæ,
(Proh pudor!) et patriæ labantis
Oblitus?—Ah Te, Reuben, ovilia
Inter latentem quæ tenuit mora?

Cur nulla Jordan trans frementes
Signa videt fluitare ripas?
Quæ Te marino littore diſtinent
Curæ morantem, Aſſerie, perfido
Cum fratre, dum mater laborat
Terra tremens propiore fato?

Vos Nepthalæi, Vos Zebulonii
Heroes, O quêis laudibus efferam?
Quæ prodigos vitæ cruenta
Per medias rapit ira cædes?
Surge eia, ſurge, O Abinoa ſate
Barace, et ingens aggreditor decus,
Captiva deducens per urbes
Agmina non humili triumpho!
Cerno micantes fulgure bellico
Horrere campos. — Quis ſtrepitantium
Flictus rotarum? quanta quanti
Arma movent ſociata Reges?
Sed quid citatis barbara curribus
Fidens juventus, conſciaque agmina
Gentis Palæſtinæ, quid audax
Siſera, et Hazoridum catervæ

Contra

Contra ſonantem numinis Ægida
Poſſunt ruentes? vidimus en Patrem
Cælo tonantem; ut fulminantis
Dextra truces jaculatur iras!
Quin et malignis ſidera militant
Armata flammis: Siſera, te petunt
Hæc monſtra, te cœli rubentes
Attonitum feriunt ruinæ.
Humi recumbit fracta minacium
Virtus tyrannorum. Auribus obſtrepit
Sono gementem rupta tundens
Ungula quadrupedante campum.
Jam tum Baraci bellipotens manus
Vaſto phalangas diruit impetu,
Curruſque ferratos, viroſque
Fulmineis agitavit armis.
Quantis ruinis ſtrata cadavera
Campos tegebant, quanta fugacium
Vis hoſtium ad ripas jacebat
Ambiguo peritura letho;
Teſtis Megiddi flumen, et amnium
Princeps Kiſhonus; teſtis adhuc pater

Kiſhonus,

Kiſhonus, unda decolori
Scuta virûm galeaſque volvens.

Io triumphe! O conſcia numinis,
Debbora victrix, ſume ſuperbiam,
Metuſque, et hoſtiles protervis
Subjiciens pedibus furores!
Audin'! miniſter fulminis aliger
Acclamat, eia! O perdite, perdite
Diris Merozam! vah nefandam
Excidiis abolete gentem!
Illa Illa fratrum funera viderat
Inulta, et in certamine martio
Linquens laborantes amicos
Fugit iners, timuitque mortem.

Jaela, multi fœmina nominis,
Dilecta cœlo fœmina! Siſeram
Tu ſplendide fallax recepiſti
Hoſpitio minus hoſpitali.
Benigna lactis quæ profugo duci
Indulſit hauſtum, cur trepidat manus?
Cum malleo clavus trabalis
Quid ſubiti meditatur ictûs?

Heroa cerno ſub pedibus tuis
Lapſum, volutum: ſub pedibus tuis
Lapſus, volutus, ſtratus heros
Purpureo vomit ore vitam.

En! per feneſtram, e mœnibus hoſticis,
Vigil, puellis cum popularibus,
Matrona bellantis tyranni
Proſpiciens per aperta campi,
Afflicta longas increpuit moras,
Dixitque tandem; Siſera, Siſera,
Ah! quæ triumphales moratur
Cauſa rotas? Spoliiſne currus
Gemunt onuſti? Quæ mihi, quæ tibi
Captiva virgo regia ſerviet?
Captiva quæ veſtis triumphos
Sidonio decorabit oſtro?
Deluſa mater, quidlibet impotens
Sperare! — Sic, O! ſic, Pater, occidat
Hoſtile nomen! ſed tuorum
Charior Iſacidum propago
Horrenda late bella per ultimas
Extendet oras, perque habitabilem

Illuſtris orbem, ſolis inſtar,
Imperii jubar explicabit.

DEBBORÆ EPINICION.

Judic. cap. 5.

VOS O, purpurea qui majeſtate ſuperbi
Imperio premitis terras, audite canentem,
O reges, audite Dei magno ore ſonantem
Victoris laudes, debellatoſque tyrannos.
Formidande Deus, te conſcia ſenſit Idume
Inſolito trepidans motu, reſolutaque cœli
Te ſuper incumbente gravem traxere ruinam
Nubila, convexo nutavit pondere tellus;
Attoniti montes liquefacta mole fluebant,
Quaſſaque fumanti pavitabat vertice Sina.
Hei mihi! qualis eras, duris exercita fatis
Patria, triſte ſolum, timido dum regna capeſſens
Shamgarus Anathides dictaret jura popello?
Victor, agens prædam ſine vulnere, latro tenebat
Obſeſſas impune vias: per devia furtim

Serpſit

Serpſit humi cautus greſſu fallente viator:
Horrida ſquallebant expulſis arva colonis,
Nudaque mactatos plorabant oppida cives:
Atque humilis populos ſtravit pavor:—undique luctus,
Undique torpor iners, et plurima cladis imago;
Donec ego Debbora, recenti mater amore,
Illa ego ſurrexi, tanti dux fœmina facti.

Ergone degeneres populi pietate profana
Ignotos coluere Deos?—hinc debita culpam
Pœna premit vindex, et ineluctabile bellum
Fulminat ad portas. Quò nunc audacia ceſſit,
Iſacidæ? nemone tot inter millia, nemon'
Haſtamque, clypeumque, infeſtaque ſigna movere
Audet in adverſos, et aperto fidere campo?

At vos, illuſtres animæ, quas vivida virtus
Impulit accendens in dura pericula lethi,
Vos ego præcipuo recolens amplector amore:
Veſtrum rite memor, ſiquid mea carmina poſſint,
Semper honoratum ſervabit patria nomen.

Bella quis et pacem, quis vindicis arma Jehovæ,
Et claros memori celebrabit honore triumphos?
Vos, O ſceptrigeri Patres, qui ſacra frequenti
Jura datis populo, per apertas dicite portas,

F Dicite

Dicite quanta Deus nobis bonus otia fecit.
Nunc omnis longo ſolvit ſe Patria luctu:
Ire juvat, campoſque hoſtili cæde rubentes,
Infameſque locos, deſertaque caſtra videre,
Fragminaque armorum, vacuoſque in pulvere currus.
Surge age, ſurge, potens numerorum, præcipe feſtos,
O Debbora, modos, votivum præcipe carmen.
Surge age, tu mecum ſocios, Barace, triumphos
Aggredere, O magnum Abinoæ patris incrementum!
In trepidis multi quæſitum oracula rebus
Huc venere Duces: noſtræque ſub arboris umbra
Acclines longi finem ſperâre laboris;
Extimulans animos Ego multi nominis auſpex
Proſpera ſelectas hortabar ad arma phalangas.
Macte animis et laude nova, Zebulonia pubes,
Nepthaliumque genus; vos belli extrema ſecutos
Traxit amor patriæ, et vitæ bene prodiga virtus.
O ſi vivida vis et mens infuſa per omnes
Illa foret, toto populi ſe corpore miſcens!
— Sed timidus probroſa domi terit otia Reuben.
Quid juvat ah vanis ovium balatibus aures
Paſcentem ſediſſe? Ah quæ te, Dane, latentem
Quæ tantæ tenuere moræ? Quæ cura peculî

Aſſerium

Asserium procul usque marinis distinet oris?
Proh pudor, imbelles animæ, dum patria frustra
Poscit opem, summo trepidans discrimine rerum!
Me vero vocat ingenti clamore Megiddi
Flumen, et armorum resonans Taanaca tumultu.
Hazoridum video fulgentes ære catervas,
Et circum longo ferratos ordine currus.
Infert se minitans campis sociata Ducum vis,
Et metuenda movent Cananæi prælia Reges,
Non cauponantes bellum, sed belligerantes.
Maximus hæc cernens solio Pater intonat alto
Desuper: omnis eo terrore Jabinia retro
Pulsa phalanx, omnisque adeo Cananæa refugit,
Horrescens portenta manu vibrata rubenti,
Fulgores, et Vindictam, Sonitumque, Metumque,
Nimbosque, alatique sequaces fulminis iras.
Nequicquam se tollit in altum quadrupedante
Cum fremitu bellator equus, camposque fatigat
Calce premens; jam tundit humum moriturus, et unà
Provolvens equitem. En mediis in millibus ardens
Occidit, et curru Princeps excussus inani
Cum vita fractas in pulvere projicit iras.
Infelix Ductor, Te vindicis aspera tangunt

Fata Dei; Te contra armatus militat æther,
Invida Te celeri volventia ſidera lapſu,
Iratique premunt armamentaria cœli.
Nec fuga nec virtus cladi devota futuræ
Pectora defendit, lateant ubicunque locorum,
Opprimit occurrens elementa per omnia fatum.
Ecce, jubente Deo, famulans Pater omnibus undis
Kiſhonus tumet, et, ſpumanti turbidus ira,
Abripit arma viroſque, et funere mergit acerbo,
Fluviorum Pater, et cœlo gratiſſimus amnis.
Surge age, et ingentes, victrix Debbora, triumphos
Aggredere, exhauſti jam vana pericula belli
Subjiciens pedibus, rabiemque Jabinis inermem.
Angelus, ætherea demiſſus ab arce, Merozam
Perdite, clamavit, ſceleratam exſcindite gentem.
Impia gens, fratrum quæ poſſet inulta videre
Funera, nec raptis voluit ſuccurrere telis!
Ante omnes mihi tu celebrabere maxima matres,
Heberi Jaela. Pedes tua Siſera victus
Tecta ſubit, profugus ſubit hoſpes inhoſpita tecta.
Solve metus, bone Ductor, honeſte perfida dicis:
Mens ſtruit inſidias, ſimulavit vultus amorem.
Poſcit aquam ſitiens; tua florem lactis opimi

Regali

Regali patinâ manus officioſa miniſtrat:
Quàm ſibi diſſimilis? jam clavum arrecta trabalem
Malleolumque vibrans ingentes concipit iras,
Inviſumque caput lethali dividit ictu.
Ingemit ille gravi trajectus tempora clavo:
Volvitur ante pedes, iterumque revolvitur, ægre
Contorquens tremulos in morte recolligit artus,
Stratus humi fixuſque ſupina mole recumbit.

Interea Mater, ſubjectos anxia campos
Proſpiciens, dubio curarum fluctuat æſtu
Inter ſpemque metumque: ah Siſera, Siſera, dixit,
Quàm mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quæ te
Bellantem procul hoſtili remorantur in agro,
Invidaque in longum promiſſi certa triumphi
Gaudia depellunt? quæ cauſa indigna ſecundos
Tardavit currus? — at non ſine laude redibis
Armipotens victor belli ſpolia ampla reportans:
Multa tibi virgo captiva, et multa nitebit
Purpura verſicolor, ſponſo quæ dona futuro
Pinxit acu Nympha, atque intexens floribus aurum
Fulgentem vario telam diſtinxit honore.
Hæc te digna manent victorem præmia. — Sed me
Forte aliquis pius error imagine ludit inani.

— Si

— Si te fata premunt, — et me rape in omnia tecum,
Heu super infando morituram funere matrem.
Sic inimicorum genus omne, profanaque regna
Funditus intereant! — O terque quaterque beatos
Solenni quicunque colunt pietate Jehovam!
Felices populi! vobis invicta vigebunt
Arma Deum sortita Ducem, porrectaque regni
Gloria per domitum late spectabilis orbem.
Qualis ab Eoi procedens limite mundi
Sol micat, extemplo nebulæque malique vapores
Diffugiunt, ridet diffuso lumine cœlum,
Lætaque persentit vitalem terra calorem.

ISAI. c. 38.

ΗΠΙΟΣ Εζεκιας τετηρωμενος ελκεϊ λυγρω
Κειτο βαρυςεναχων· ολιγος δ' ετι θυμος ενηεν·
Ησαιας δε οἱ ηλθε θεοπροπιων αγορητης,
Ουκ επιηρα φερων, τοιον δ' επι μυθον ετελλε·
" Κλυθι μευ, ω βασιλευ, Θεοθεν δε τοι αγγελος ειμι,
" Ος σοι τοιαδ' αναγκη πανιςσεται — τω σε κατ' οικον
" Παντα περιφραδεως διατιθεμεν οττι ταχιςα,
" Ως πρεπει αυτικ' αποθνηξοντ', επει ουτι σ' οΐω

" Δηρον

" Δηρον ετ' οψεσθαι λαμπρον φαος ἠελιοιο,
" Ηδη γαρ θανατȣ πεπρωμενον ἡμαρ επεςη."
Ως εφατ'. Εζεκιας δ' ολοφυρετο μυθον ακȣσας·
Αψ δ' ορσων προς τειχος απετραπεν οσσε φαεινω
Κραιπνα γοων, θερμον δε κατειβετο δακρυ παρειων
Ωδε δ' επειτα Θεῳ μεγαλ' ευχετο χειρας ορεγνυς.
" Κλυθι μευ, ȣρανοθεν μεδεων Πατερ, ειποτ' ερεξα
" Η επει η εργῳ ὁ,τι σοι καταθυμιον εοι,
" Τȣ νυν, ει γερας ευσεβιης ανταξιον εςαι,
" Ανταπομειβε χαριν μεμνημενος Εζεκιαο,
" Νȣσον ιασσαμενος, και αμυνων μορσιμον ἡμαρ."
Ως φατο δακρυχεων; θεοθεν δε οἱ αυθι παρεςη
Αγγελος Ησαιας, και μειλιχιως προσεειπε·
" Θαρσειν σ', ω βασιλευ, κελεται Θεος, ωδε παραινων,
" Ειδον δακρυχεοντα και εκλυον ευχομενοιο,
" Ουδε ματην τογε σον μοι ες ȣατα πενθος ικανεν,
" Ου μεν γαρ σοι μοιρα θανειν, πριν γηρας επελθῃ·
" Σοι γαρ εγω δεκαπεντε περιπλομενȣς ενιαυτȣς,
" Τερμα βιȣ μακρυνθεν, επικλωςην ὑπερ αισαν,
" Προσθησω επιδȣς· ἱνα τιμησωσι και αλλοι
" Τον Θεον Ισραηλος, οὗ κρατος εςι μεγιςον
" Νȣσον ιασασθαι, και αμυνειν μορσιμον ἡμαρ.
" Και σε μεν εξ αιδαο, τοδ' ἱερον αςυ Σιωνος

" Ρυσομαι

" Ρυσομαι εκ πολεμοιο, και Ασσυριον πτολιπορθον
" Τηλε διασκεδασω φυγαδην ες πατριδα γαιαν,
" Αρνυμενος Δαβιδι μεγα κλεος ηδε μοι αυτῳ.
" Αλλο δε τοι ερεω τοδε και τετελεσμενον εσται·
" Εξ εμεθεν νυν σοι τερας εσσεται ȣρανοθεν προ,
" Σημα νεον, τηλαυγες, ετητυμον, ὀφρα πιθηαι·
" Λευσσε τογ' ὡρολογειον, αναξ ὁ, τ' Αχαζος ετευχεν,
" Ενθ' ιδε νυν καταβαντα δεκα σταθμους επι δυσμον
" Ηλιον· αλλα και αυτον ιδοις δεκαταιον ες ηω,
" Εξ ἡπερ κατεδυσε, παλιντροπον εξαναδυειν.
" Θαυμα ιδειν· ὁ δε θαμβος εχει τȣς εισοροωντας."

SACERDOS

PAROECIALIS RUSTICUS.

Clerico Lectori S.

SCRIPTOR *Patronum quæro, Sacerdos Paræcialis Episcopum; & quidem eum, qui officia, quæ descripsi, sacerdotalia non solum pro imperio & autoritate Suis præcipit Episcopus, verum etiam re ipsa præstat, & exemplo commendat, ipse etiamnum Sacerdos Paræcialis.— Vide quorsum nostra tendit ambitio.*

Sed, ubi quæram, ubi inveniam, rogas? profecto nihil est tam prope tam proculque: habeo quem præ cæteris indigitem, quem designem oculis. Illum certe* Oxonienses *nostri, ad quos administrationum fructus pervenerint, non inviti recognoscent.*

Equidem hæc nostra qualiacunque in lucem publicam venire facile patior, quæ tibi aliquatenus usui aut oblectamento esse possint; maxime vero, cum in illa materie ornanda versentur, quam reipublicæ causa cupio esse colendissimam: Neque sane ea te illubenter lecturum puto,

* Scilicet *Thomam Secker* eo tempore Episcopum Oxoniensem, brevi post ad Archiepiscopat. Cantuar. evectum.

quæ

quæ à laudibus tuis haud aliena esse intellexeris. Illud certe efficere sedulo studui, ut Personis Rebusque sacris sua non modo dignitas & reverentia constaret, sed etiam aliqua nitoris atque venustatis externæ gratia accederet: atque adeo ut Sacerdos noster Paræcialis, quasi rubigine rustica sordibusque abstersis, ornatu plane novo & poetico indutus, in hominum celebritatem aliquanto commendatior acceptiorque prodiret.

Porro Sacerdos hic Paræcialis occasionem sibi haud incommode oblatam videt, ut de Diæcesano suo, & quidem absente, ea quæ vellet quæque sentiret, suo more libere palamque profiteretur: ut extaret aliquod non tam amicitiæ & benevolentiæ privatæ quam pietatis cujusdam publicæ testimonium; ut nempe, tanquam voce publica, communem Cleri nostri Oxoniensis *gratulationem prædicaret, per annos jam viginti eum nobis Episcopum præfuisse, quem Diæceses cæteræ nobis jure inviderent, in Ecclesia administranda tanta cum diligentiæ, sanctitatis, moderationis, & benignitatis laude versatum, ut quoquo modo decedens bonis omnibus ingens sui desiderium sit relicturus.*

Nefas foret virum talem in causa hujusmodi prorsus illaudatum præterire, plura vero officiose ingerere molestum. Quod superest, ut in commoda publica illum diu incolumem florentemque tueatur Deus, utque Clero Oxoniensi *virtutum tantarum lumen non frustra præluxisse videatur, tecum una voti haud sterilis officio comprecatur*

JOHANNES BURTON,

de *Mapledurham* in Com. Oxon. Vicarius. 1757.

SACERDOS PAROECIALIS

RUSTICUS.

SOcratem *Ariſtophanis* mordax jocus atque venenum
Perdidit, inſontem riſu damnante popelli:
Non Pietas, non, qua jampridem ſidera adibat,
Laus *Sophiæ*, teſtiſve reum ſervavit *Apollo*.
Te quoque, te, dilecte Deo, venerande Sacerdos,
Hiſtrio te petulans male ſalſo perdere riſu
In ſcenam trahit, et mores habitumque maligno
Scommate perſtringens in ludum ſeria vertit
Sacrilegus, ſocco peccans impune profano.
Ecquis erit vindex qui nominis hujus honorem
Aſſerat? — O, noſtræ merito pars maxima famæ,
Alma Sacerdotis nutrix, *Rhedycina*, futuri,
Tu mihi materiem geniumque accende canenti
Laudibus haud aliena tuis: Eccleſia quando
Prole tua gaudens cognatos jactat honores;
Sume animos: ſunt hic etiam tua præmia laudi

Aſpice, quos olim foviſti mater alumnos,
Aſpice Patronos et te mirator in Illis.
En! quoties feſtos inſtaurat Muſa triumphos,
Ille, theatralis pars non ingloria pompæ,
Noſter adeſt, placido venerabilis ore Sacerdos:
Gaudet adhuc priſco ſtudii juvenilis amore,
Muſarumque Choris, et pleni laude Theatri.
Ecce redux longo poſt tempore viſit *Athenas*,
Agnoſcitque libens veteres vetus hoſpes amicos,
Priſcarumque nova lætatur imagine rerum:
Miranti ſimilis caſtigantique recentis
Luxuriem ſæcli Collegia nota pererrat;
Singulaque explorans capitur novitate locorum:
O fortunati quorum jam mœnia ſurgunt!
Sive operoſa magis *Gothici* monumenta laboris
Suſpicit, admirans antiquæ laudis et artis
Mœnia — et "O mihi poſt nullas memoranda ſorores,
"Illa Domus, quæ me ſeptennem vidit Alumnum!"
Ut mira tactus dulcedine ſingula luſtrat,
Præcipue gaudens ſua quondam tecta ſubire,
Et notos habitare lares! ibi priſca recenſet,

19 *Comitiorum tempore.* 24 *Academiam inviſens.* 34 *Collegium præcipue ſuum.*

Multa

Multa ſuper ſociis recolens et Præſide multa,
Et Promo ſuper, atque Coquo veterique Culina,
Et — quorum pars magna fuit.—Juvenilior ætas
Juſſa redit: vitamque juvat renovare priorem.

Talis adeſt, noſtros præſens ornare tiumphos,
Publica veraci commendans gaudia plauſu.
Non Illo melior quiſquam nec amantior hoſpes
Te ſtudio potiore colit, *Rhedycina*; viciſſim
Huic Tu, ſiquis honos pietatis amorque decori,
Huic affunde decus capiti, famamque tuere
Illæſam, ſacra præcingens tempora lauru.
Et Tu, Muſa, pio longum deſueta labori
Degener et laſciva, parumper caſta reviſe
Limina templorum, et mecum pete ſeria rerum,
Materiemque novam: ſed quam laudaverit ipſe
Chaucerus, quanquam monachos vexaverit hoſtis
Mordaci ſatira. — Nec erit te dignior ulla,
Quam quæ præſcribit reverendum pagina nomen.
Si dederit primus tibi vocem artemque Sacerdos,
Carminibus celebrans laudes hominumque Deûmque;
Huic artem vocemque memor, ſua dona, repende,
Semper honoratum ſervans in ſæcula nomen.

O felix ſtudii, qui non ingloria ruris

60 *Sacerdotis Ruſtici laus generalis.*

Otia

Otia tutus agit, procul ambitione metuque!
Qui recolens quicquid dignum ſapiente bonoque
Providus æternæ meditatur ſeria vitæ,
Gaudia deſpiciens peritura; — Deoque vocanti,
Cujus ſacra gerit magno lætatus honore,
Impendit curas, animamque relinquit in aſtris.
Non Illum potuit Siren damnoſa voluptas
Flectere, non miſeros agitans Diſcordia cives,
Nec maleſuadus Honos, nec lucri prava Cupido:
Sed Pietas, cœlumque Fides amplexa remotum
Ad majora vocat, fortunam dona ferentem
Subjiciens pedibus rigidique pericula fati,
Atque alio patriam monſtrans ſub ſole jacentem.
Felix qui, late turbantibus æquora ventis,
Civiles tuta proſpectat ab arce tumultus,
Immunis culpæ, ſimul immuniſque pericli!
Cætera ſecurus ſancto vacat uſque labori,
Sedulus et populo prodeſſe, Deoque placere.
Hanc olim in terris vitam *Gilpinus* [1] agebat,

[1] *Bernardus Gilpin*, *Henrici*, *Edvardi*, *Mariæ*, *Elizabethæ* temporibus; inter Reformatores Vir magni nominis, Ingenio & Eruditione, Judicii, moderatione, Sanctitate vitæ, Liberalitate & Beneficentiâ imprimis clarus, Rector de *Houghton* in agro *Dunelmenſi*. Ibi quid Sacerdotis Chriſtiani efficere potuit & debuit Cura, ex omni parte, inſigni teſtabatur exemplo, adeo ut Borealis provinciæ, pro merito ſuo κατ' ἐξοχήν, Apoſtolus appellaretur. Vitæ tam memorabilis non ſine pietatis & ingenii ſui laude fuſius deſcripſit *Gulielmus Gilpin*, A. M.

Hanc

Hanc *Hookerus*,[1] et hanc divino carmine Pastor
Herbertus:[2] tum Tu, statica mirabilis arte,
Naturæ verique sagax interpres, *Halesi*,[3]

1 *Richardus Hooker*. *Eliz.* & *Jacobi* primi temporibus floruit, Rector de *Bishopsbourne* in agro *Cant*. Scriptor ille Ecclesiasticæ Politiæ, cujus nomen qui audierit, de famâ nihil ultra desiderabit. Plura scire qui cupit, consulat *Isaacum Walton* Biographum.

2 *Georgius Herbertus* Domini Baronis de *Cherbury* Frater, aliquando in Academia *Cantab*. Orator Publicus, deinde Rector de *Bemerton* in agro *Wilt*. Pietate insignis & Ingenio. Poema scripsit cui titulus *Sacerdos Parœcialis Rusticus*, Ipse Tituli, quem libello præscripsit, fidem moribus suis adimplens & officia Sacerdotalia omnia, quæ descripsit, exemplo suo illustrans. De eo itidem vide *Isaacum Walton*.

3 *Stephanus Hales*. S.T.P. Pastor de *Teddinton* in agro *Middlesex*, humili in loco magni Vir animi, humani generis universi curam complectentis. Quicquid erat aut ingenii aut fortunarum id unice utilitatibus publicis addixit.

Corporum pariter atque animarum saluti prospiciens, in Physica & Medicina experimentorum mirabilium aut Inventor aut Autor, Scientiam Philosophicam usibus humanis famulari jussit. De re privatâ parum solicitus, sine dote, sine mercede, reipublicæ commodis serviens. Extant pleraque ipsius scripta præclara de Static. Vegetab. Hæmastic. Ventilat. cum id genus compluribus, quæ omnium admirationem merito excitabant; Scriptor interim in umbratili vitâ consenuit sterili laude cumulatus.

Jam tandem a *Principissa Walliæ* Sacellanorum suorum Princeps accersitur Septuagenarius senex, pene dixeram in opprobrium Aulicorum, singularis abstinentiæ exemplum, Vir simplicitate morum, primæva; Sanctitate vitæ vere Christiana; & placidâ severitate venerabilis, lucri, famæ & honorum contemptor.

Omnibus modis Reipublicæ prodesse, Deo placere ea erat illi votorum atque curarum summa. Viderat aliquando plerąque a se solerter excogitata, quæ diu neglecta jacuerant, judiciis hominum atque usu communi comprobata. Jam tandem laborum serie defunctus 1761. ætatis anno 84 decedens, bonis omnibus honorificum sui desiderium reliquit.

Viro

Contemptor famæ, non illaudatus abibis.
Te, venerande, ſequor, non inter limina regum,
Qua ſtupet inſanis acies fulgoribus aulæ,
Te per rura ſequor, tua regna, inopumque tabernas:
Qua vocat ægroto metuens ægrota marito
Uxor, opem medicam non uno nomine poſcens;
Tu mentem ſano firmas in corpore ſanam
Corda fovens, lapſiſque doces confidere rebus.
Seu Te Templa vocant, te nos ad Templa ſequemur:
Paſſus Muſa tuos læto comitatur honore
Per variæ pietatis opus ſeriemque laborum,
Summa minutatim carpens faſtigia rerum.

O Cœli Terræque parens hominumque Deûmque!
Te, Deus, antiqua te religione colendum,
Septima quæque dies agnoſcit, et uſque recurrens
Convocat indutos meliori veſte Colonos.

Viro de Republicâ, de ſe optime merito, honoris cauſâ, in Fano *Weſt-monaſterienſi* Monumentum poſuit *Principiſſa Walliæ*.

Hoc certe teſtimonium, & amicitiæ & meritis Viri venerabilis, debitum, libenter hîc appono, id cupiens ut, ſiquis noſtra hæc quoque ſiquis captus amore legat, cum boni Paſtoris, quæ paſſim prædicantur, laudibus unà conjunctam *Stephani Hales.* memoriam agnoſcat. Ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλίτης ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι.

95 *Diei Dominicæ Celebratio.*

Ecce

Ecce inter medios placida gravitate severus
Presbyter incedit: late distinguit honestum
Circumfusa caput venerabilis umbra galeri,
Sanctaque pullatum Reverentia cingit amictum.
Alta Quies, strepitu cessante, Pudorque decorus
Dejecto tacitos comitatur lumine gressus.
Obvius abnormes ultro meditatur honores
Rusticus, oblique nudato vertice nutans;
Ipse etiam, torvus qui cætera despicit, illum
Armiger alloquitur prior, atque assurgit eunti.

Jamque sacrum limen premit; en subsellia rauco
Consurgunt plausu, mentemque auremque paratam
Excitat arguto Campanula tinnula pulsu.
Jam redit ex adyto candenti clarus amictu,
Facundasque manus et conscia lumina tollens,
Composito gestu spectabilis, ora resolvit
Plena Deo, peragens præscriptos ordine ritus.
Quisquis ades, tu macte nova pietate, parumper
Exue mortales curas, et te quoque dignum
Finge Deo.—Vitiis nunc excute pectus onustum,
Conscius, ostendens tibi te: peccata fateri

106 *Processio ad Ecclesiam.* 114 *Ingressio.* 116 *Præparatio.*
118 *Adhortatio.* 119 *Confessio.*

Ne dubita, atque oneris magnam deponere partem,
Tristia suffusus generoso corda pudore:
Te — tua crede Deo, et veniam spe præripe certa.
Audin'! ut attentam lætabilis exit in aurem
Pacati vox illa Dei, recitante Ministro,
Æterna dubiam solvens formidine mentem?

Ergo age fidenter supplex in vota precesque
Ire para, et Christi dictantis verba magistri,
Verba Deo placitura, hæc mecum rite perora:
O Pater humani generis, qui numine cælum
Illustras præsens, Tibi sancti nominis usque
Constet honos, sceptrique decus: Tua regna triumphent,
Et nova pacato surgat gens aurea mundo.
Ne mea me trahat in vetitum malesuada libido,
Tu mihi rector ades: Tua mî pro lege voluntas
Imperet obsequium, cælestes quale ministri
Semper amant præstare. Caducæ pabula vitæ,
Sufficiat panem tua cura diurna diurnum.
Da veniam, Judex, peccata fatentibus ultro,
Debita sic ut nos aliena remittimus ultro.
Infirmis succurre; aut ipsa pericula pelle,
Invictosve malis serva. Sic omne per ævum
Semper honos, regnumque tuum laudesque manebunt.

123 *Absolutio.* 129 *Oratio Dominica.*

Hæc

Hæc genibus flexis, animoque et voce decenter
Supplice. — Nunc ſubito ſubſellia ſurgere niſu
Et læto videas cum murmure cuncta moveri,
Et populo plaudente ſacrum pæana ſonare.
En jubet exultare, Deique ornare triumphos
Rex idem et vates, divini carminis autor,
Jeſſides: auſus terras nubeſque volatu
Pluſquam Pindarico tranſcendere et ardua cœli,
Miſcerique choris ſuperûm, melos audiit ille
Angelicum, citharamque modos ediſcere juſſit,
Inſtituitque Choros: Illi Natura canenti
Præſentem teſtata Deum conſurgit, et omni
Prole Creatorem Servatoremque fatetur,
Divinas celebrans elementa per omnia laudes.

Ergo age, *Davidis* numeros animoſque ſecutus,
Digna Deo meditare, Deo vectigal honoris
Et grates ſolvens hoc mecum concine carmen.

O Anima, æterni laudes meditare Parentis:
Admirande Deus! te veſtit fulgor opacans
Lucis inacceſſæ, et diffuſo gloria tractu
Irradians rutilo prætexit numen amictu.
Tu, cortinæ inſtar, ſinuoſos ætheris orbes

146 *Pſalmi.* 160 *Pſalm.* 104.

Evolvis fluidumque jubes diffundere cœlum.
Tu dociles ventos revocanti flectis habena:
Non auriga piger, vectusque jugalibus alis
Nimborum, cœli spatio decurris aperto:
Hinc glomerantur et inde Ministri, lucidus ordo,
Lucidior flammis, volucrique citatior Euro;
Fulguraque et nimbi peragunt mandata Tonantis.

Omnipotens opifex posuit fundamina terræ
Ponderibus librata suis: illa omne per ævum
Perstitit, et perstabit in omne immobilis ævum.
Olim subter aquas latuit circumflua tellus;
Spumea subjectos texerunt æquora montes:
Increpuit Pater altitonans; perterritus audit
Oceanus, trepidansque retro fugit omnibus undis;
Illæ indignantes magno cum murmure terræ
Circum claustra fremunt; at, Te moderante, quiescunt
Illico, et objectum metuunt transcendere littus.
Altior emergit montano vertice tellus,
Depressas sensim mirata residere valles,
Plurimaque è clivis tacito stillantia lapsu
Per riguos passim decurrere flumina campos:
Huc sitiens pecudum genus omne ad pocula tendit,
Quotquot ager vel sylva tenet; stat plurima circum

Populus, hospitium volucrum, per frondea tecta
Fit strepitus, tremulumque perambulat æthera carmen.
Tu, Deus, in terram descendens humidus, omnes
Magnus alis, magno commistus corpore, fœtus.
Densatæ pluvia stillant pinguedine nubes,
Seminaque in florem fœcundans evocat imber:
Herba frequens hominum pecudumque virescit in usus,
Arvaque flavescunt Cerealia pane futuro,
Unde novæ redeunt vires mortalibus ægris:
Incluso rubet uva mero, comes uva jocorum,
Solliciti præsens animi depellere curas:
Ornat oliva dies festos, nitidumque serenans
Explicat in risum contracta seria frontis.
Ecce inter sylvas, genitali vivida succo,
Frondosum, tua cura, cedrus Libanitica tollit
Læta caput, panditque volucribus hospita ramos;
Atque abies juxta similes frondescit in usus,
Qua struit aerium paritura ciconia nidum.
Te, Deus, intonsi montes te saxa loquentur
Præsentem, dum montis amat juga pendulus hircus,
Saxorumque colit latebrosa cuniculus antra.
Auspice Te variæ revolubilis orbita Lunæ
Tempora distinguit, certoque errore vagatur,

Et memor Hesperio properat sol æquore tingi:
Tum nox circumfusa nigrantibus incubat alis;
Tum spelæa feræ per opaca silentia linquunt,
Tum leo prædator per aperta, per avia sylvæ
Suppliciter vehemens impasto murmurat ore,
Debitaque exposcit metuendo pabula questu.
Sol oritur: sylvestre retro genus ordine longo
Decedens antris immania terga resolvit.
Inde Homini cum luce redit labor actus in orbem;
Donec sera quies, grata vice noctis obortæ,
Solatur curas et corda oblita laborum.

O! quæ finxit alitque hoc rerum quicquid ubique est
Omnipotens Ratio, et Casu prudentia major!
Alme Parens, en plena tuis hic omnia rident
Muneribus, late varios tibi dædala tellus
Submittit fructus, magnaque superbit opum vi!

Seu Deus immensi venias maris,—en tibi surgit
Oceanus Domino; tibi surgunt omnibus undis
Æquora, squamigeræque, informia corpora, gentes
Cæruleis stabulant thalamis, subjectaque passim
Mirantur per dorsa leves volitare carinas:
Hic fremitu ingenti circum balæna refusas
Miscet aquas saliens, liquidoque in turbine ludit.

Te pecudum, quot pontus habet, quot terra, parentem
Infans ordo vocat, pendetque foventis ab ore,
Suavia delibans altricis munera curæ:
Extemplo nova vis vegetos infusa per artus
Diditur, et saturos pertentant gaudia sensus.
O Deus! ipse tuo Naturæ animatur ab ore
Spiritus: ah! quoties hunc subtrahis, illa fatiscit
Ægra, et alumnorum, nequicquam læta, propago
Interit, in cinerem fato revocante priorem:
At simul exanimes afflaverit halitus artus
Ille tuus, decus ostentat Natura renatum;
Ecce animæ incipiunt in corpora velle reverti,
Et rediviva novo surgit gens aurea mundo.
At tibi stabit honos perituri nescius ævi.—
Ah! bonus et facilis manuum monumenta tuarum
Respice; nonne vides oculi quàm torva tuentis
Terra truces quasso fundamine pertimet iras?
Parce gravi metuende manu! jam tacta sequaces
Per juga prorumpunt nebulæque et fumeus horror.
O! mihi dum maneat vitali spiritus ævo,
Dum memor ipse mei, votivo carmine laudes
Lingua Dei recinet, grato fruitura labore.
Sic, ubi divulsa compagine corruit orbis,

Impiaque

Impiaque instantem formidant sæcula cladem,
Tu mea tunc inter labentis fragmina mundi
Servatore Deo fidens, secura sedebis
O Anima, æternumque canes æterna Parentem.
Biblia panduntur. — Sunt qui formidine nulla
Imbuti spectent? — O rerum quicquid ubique est,
O Cœlum Tellusque, Jehovam audite loquentem!
Sic Præco, veluti demissus ab æthere, vates
Isaias præfatur, et ore silentia rumpit,
Ore repurgato, cui fulgidus Ales ab aris
Candentes olim correptas forcipe prunas
Admovit Seraphus, et intima corda subegit,
Et docuit magnumque loqui, venturaque fata
Pandere, res cœlo mersas et luce profunda.
—Talis eras, *Isaia.* — Sed O! tua scripta legenti
Quis Seraphus adest admoto cœlitus igne
Inspirans animos, purgataque labra resolvens?
Ne meus hac peccet deceptus parte Sacerdos
Prava sequens exempla, Deoque indigna loquatur;
Vel cunctanter humi serpens, vel inania captans
Nubila: grandiloqui sed mentem animumque Prophetæ

261 *Lectio prima.* 262 *Isaias C.* 1. 265 *Isaias C.* 6.
274 *De pronuntiandi modo Præcepta.*

Arripiat

Arripiat transfuſum, et ſenſibus hauriat imis,
Pectoris interiora petens, et ſe quoque fingat
Afflatum propiore Deo. — Sic denique juſſam
Dicta fidem faciunt, et habet facundia laudem.
Tunc Ego, magnarum diſtentus imagine rerum,
Tecum una, Vates divine, per ardua cœli
Cœlorumque rapi videor, cedentia retro
Sidera ſubjiciens pedibus, ſolemque minorem.
Ah! ne magniloquæ violetur gloria linguæ!
Nec ſibi diſſimilis, dum perditur ore legentis,
Languida fraudatam ſententia deſerat aurem!
O tua vivida vis atque entheus excitet ardor
Dictantem tua verba! et te tibi reddat, eundem,
Qualis eras, cum *Luciferum* de culmine cœli
Labentem, maneſque *Erebi* de ſedibus imis
In partes rapiens *Babylonia* fata canebas:
Aut, cum, venturi lætatus imagine ſæcli,
Aurea Meſſiæ naſcentis regna docebas
Surgere, et æterna florentes pace triumphos.
  Sic meus orator dicendi quærat honorem:
Non, ut rhetorica ſpectabilis arte theatris
Invideat, magnoque leves cum pondere nugas

291 *Iſai.* C. 14. 295 C. 60 & *paſſim.*

Proferat in ſcenam, populumque oblectet hiantem;
Voce manuque loquax, et plauſum captet inanem:
Verum ut id omne Deo ſubmittat, quicquid et artis
Jactat et ingenii, divinaque verba decoro
Conſcius ore ſonet, ſecernens ſacra profanis,
Majoreſque animos attollat, et imperet auri.
O laus eloquii, qua non præſtantior ulla,
Digna Deo recitare, atque emphaſin addere dictis!
  Hactenus *Iſaias*: reverenda ſilentia ſuadens,
Occupat attentos. En læto cuncta triumpho
Jam reſonant, populique choro comitante viciſſim
Hic rite alternis celebratur vocibus hymnus.
  Votiva te laude Deum, te rite potentem,
Te colimus Dominum: te linguis omnibus omnis
Æternum tellus veneratur grata parentem:
Te cœli chorus omnis, et Angelici comitatus
Carmine perpetuo gaudent celebrare; Cherubin
Te recinunt Seraphinque, una magno ore ſonantes
Sancte Deus, ter ſancte Jehova, Deus Sabaoth!
  En! quacunque patet tellus cœlumque profundum,
Divinos famulans natura fatetur honores
Numine plena tuo. Te nobilis ordo, Prophetæ,

312 *D. Ambroſii Hymnus.*

Agmen Apostolicum, et, vitæ bene prodiga turma,
Martyres, atque animæ Sanctorum, et quicquid ubique est
Gentis Christicolæ, magnum quæ sparsa per orbem,
Te, Pater, immensa Te majestate verendum,
Et Te, Nate, Patris verum de lumine lumen,
Teque simul, Paraclete, (triunum numen) adorant.
Circumfusa suum te vestit Gloria Regem,
O Christe; æternum æterni Patris incrementum!
Tu tamen, humanæ miserans incommoda gentis,
Sponte Redemptor ades, mortali sanguine natus,
Mortalis, castæ conceptus Virginis alvo:
Tu moriens domita miros de morte triumphos
Victor agis. — Medium video discedere cælum,
Felicesque domos aperiri et regna piorum:
Illic tu parili sublimis numine fulges,
Christe Deus, cum Patre Deo. — Te credimus olim
Visurum sacro purgatas sanguine terras,
Et formidandi reveremur Judicis ora.
Sis bonus O felixque Tuis! et honore perenni
Discretos ascribe beatis sedibus, inter
Plaudentes Sanctorum animas, atque agmina Divûm.
Nos O, siqua tui subeat te cura peculî,
Dirige, conserva! tibi gratum semper honorem

Quælibet orta dies persolvet, et ultima longe
Laudandum recinent volventia sæcula nomen.
Hunc saltem duce te, siquid pietate meremur,
Immunem sceleris liceat decurrere solem:
Parce, O parce pio generi, miserere Tuorum:
Omnis spes nostra et cœptæ fiducia vitæ
Auxilio stetit usque tuo: miserere Tuorum;
Adsis O! trepidisque salutifer eripe rebus.

Et jam cuncta silent: en pagina sacra loquentem
Exhibet ore Deum: non, quo de vertice montis
Sinæi, media nimborum in nocte, profundo
Cum tonitru et clangore tubæ, flammaque sequaci
Fulguris, exanimi dictabat jura popello
Altitonans; jam tum ruere omnia visa repente,
Et trepidare vagi quasso fundamine montes,
Ipse etiam *Moses* prosterni corda pavore.

At quam lene sonans Evangelici Præconis
Vox audita ferit placida dulcedine sensus,
Pacem lætitiamque ferens mortalibus ægris?
Qualis vere novo descendens cælitus imber
Irrigat arentem pluviali nectare glebam:
Aut tacito lapsu nocturni guttula roris

353 *Lectio secunda.*

Recreat

Recreat effœti morituram graminis herbam:
Talis adeſt, talem ſeſe demiſſa per aures
Mentibus inſinuat mitis ſapientia Chriſti,
Melle fluens, oleoque animi penetrante medullas.
Quiſquis es, hæc recitans ades O! mihi ſæpe monendus:
Ipſum Te reverere, Deum reverere loquentem
Ore tuo. — Tibi quis meditanti talia ſenſus?
Nonne ardent tibi corda pio ſuffuſa calore,
Præſentem confeſſa Deum? — Quid? lingua, recepti
Interpres ſenſûs, quo more modoque regenda,
Nunc ſtimulos nunc fræna vocans, ut conſona voci
Reſpondens avidam ſententia repleat aurem,
Ut neque vis, neque honos dictis neque gratia deſit?
Hæc tacitos audire, infixaque cordibus imis
Verba decet mandare. --- Vocat nunc altera cura:
Ecce iterum feſtum vocat ad Pæana canendum
Jeſſides, totumque in gaudia conciet orbem:
O omnes gaudete Deo duce et auſpice, terræ:
Huc O! adeſte, Deo meritas perſolvite grates,
Dulce miniſterium perſolvite; et atria circum
Carmine lætiſono ſacros celebrate triumphos!

382 *Jubilate.*

Quid

Quid facies averſa, et non ſine ſupplice geſtu
Et graviore tono ſubmiſſæ murmura vocis?
Sacra quid iſta volunt? en! dogmata myſtica captu
Mortali majora, quibus cœleſtis origo,
Quæ non Socraticæ poterant oſtendere chartæ!
Hæc venerabundus purgatis auribus audi,
Hæc adhibe credenda, Deumque agnoſce triunum.
Quiſquis es, O! Chriſti de nomine nomen adeptus,
Nunc te diſcipulum Chriſti profitere magiſtri;
Primævam profitere fidem, miranda relatu,
Digna autore Deo myſteria: qualia et ipſi
Cælicolæ venerantur, inexpletoque tuendi
Incumbunt deſiderio, longeque verendum
Fontis inacceſſi de lumine lumen adorant,
Mortales viſus nimio fulgore perurens.

O mundi victrix, animis illabere noſtris
Omnipotens ratio, et ſenſu ſapientia major,
Cælitus orta, *Fides:* tu diſſita jungere præſens
Intervalla locorum, et nondum viſa videre:
Incertæ dux certa viæ: tu, lumen Abramo
Prætendens longe peregrina per arva vaganti,
Promiſſis ultro docuiſti fidere rebus,

390 *Fidei Chriſtianæ profeſſio.*

Oſtendens

Oſtendens patriam meliori ſole calentem.
Nos quoque, nos Patris veſtigia rite ſequentes,
Ignotæ per opaca viæ tu dirige præſens,
O cæleſte jubar, dubiæque crepuſcula lucis
Irradians, patriæ cœleſtis operta recludes;
Da propius prenſare retro cedentia regna,
Et nova venturi præſumere gaudia ſæcli!
  Quod ſupereſt, genibus flexis et corde ſubacto
Rite Deum venerare, precum laudumque benignus,
Dona recognoſcens accepta, petenſque futura.
  Sic divina tuæ trino de numine triplex
Cælitus allabens aſpiret Gratia menti!
  Finierat jam vota perorans rite Sacerdos.
Ecce chori præcentor, acuta voce miniſter
Officioſus, ad egregios accingitur auſus,
Miraque proludens *Davidis* præcinit hymnum:
Crebreſcit ſenſim ſublatus ad æthera clamor,
Multaque ſufflati crepitat facundia naſi.
  Parcius O ſacrum cantando perdite carmen!
Diſſona nec teneram Pſalmodia vulneret aurem!
O tua cantanti, Jeſſide, ſpiritus adſit
Ille tuus! tum vox divinior altiſonanti

417 *Precationes variæ.* 420 *Benedictio.* 423 *Pſalmodia.*

Reſponſura

Reſponſura lyræ, quæ me mihi ſurripit, omnem
Auribus inſtillans animam ad cœleſtia raptat,
Immiſtumque Choris Superûm, contemnere terras
Edocet, Angelicaque ſonorum veſcier aura.
  Surſum oculos et corda, Viri; nunc Roſtra diſertus
Occupat interpres divinæ mentis, ab alto
Nil mortale ſonans, opera vehemente miniſter:
Sive, mali prima repetens ab origine labem,
Humani generis ſortem miſeratur acerbam:
Sive Redemptorem, tenebris ceu lumen obortum,
Cælitus oſtendens nigrantes diſcutit umbras:
Infenſumque novo placatum fœdere numen
Exhibet, atque hominem fato meliore renatum:
Seu deſcripta notat civilis munia vitæ,
Et dubias lites componit, et arbiter æqui
Quid fas atque nefas, quid turpe, quid utile monſtrat,
Flexanima ſtupidos obteſtans voce Colonos:
Diſcite juſtitiam moniti: trepidate ſceleſti,
Exultate Pii; diverſi fata coloris,
Et lethum vitamque gerens, affectibus ille
Imperitat, non vana docens, in utrumque paratus
Arbiter eloquii, ſedes aperire beatas

436 *Concio ad populum.*

Seu

Seu velit, et promiſſa perennis gaudia vitæ:
Sive Acheronta movens gravidas terroribus omnes
Pœnarum ſacies et inexorabile fatum,
Ultriceſque arceſſat in ipſo limine Diras.
O ſuadela potens! O Rhetoris arte profani
Major et ingenio facundia! cedite Graii,
Cedite Romani; priſcis incognita ſæclis,
Materies en ipſa novas animoſa miniſtrat
Eloquii vires, et non imitabile pondus,
Et vigiles oculos et corda ſequacia raptans.
Quare agite, et proprios animarum diſcite cultus,
Agricolæ, et fructus melioris reddite vitæ.
Finis adeſt. Vario muſſant rumore Coloni;
Crebra perorantem tacti ſuſpiria cordis,
Murmuraque et fremitus, ſimul ipſa ſilentia laudant.
  Nunc animis opus arrectis, nunc pectore puro:
Grande miniſterium: procul O procul eſte profani!
Quo ſecretus abit? quæ tanta remotus ad aram
Cælituum veneranda Choris miracula promit?
Hebræus veluti ſanctorum ſancta Sacerdos
Annuus ingreditur: longe veneratur euntem
Exterior reſidens ſuſpenſo corde popellus;

469 *Eucharistia.*

Dum metuenda Deo præſente ſedilia circum
Hinc atque hinc geminus prono ſuper ore Cherubin
Pendet, adoranti ſimilis ſimiliſque timenti,
Sacraque prætenſis obvelat myſtica pennis.

Non ego tanta meis myſteria verſibus auſim
Amplecti; non ſi mihi mens divinior, atque os
Magna ſonans, atque Angelicæ vox æmula linguæ.
O mihi tum preſſis attenta Silentia labris
Invigilent circum, dum ſupplice fuſus ad aram
Vota facit geſtu; generiſque piacula lapſi
Mira repræſentans placabile numen adorat!
Quam mihi tum placida trepidat formidine pectus,
Primævæque animum ſtringit pietatis imago?
Te ſequor O! quocunque vocas, divine Sacerdos,
Tu cor finge docens, et me rape in æthera tecum!

O pluſquam mortalis honos! hominemque Deumque
Inter, homo medius cœlum terraſque remiſcet,
Legatus gemini peragens commercia mundi.

Myſtica quid referam ſacrati dona lavacri,
Infantemque recens abſterſa ſorde renatum?
Hæc ego tum mecum preſſis agitare labellis:
O ego qualis eram? vitam mihi redde priorem,
O Pater, infantemque novato corde refinge,

Qua licet, immunem culpæ : ſic itur ad aſtra.
  Ecce Catechiſtes humili ſermone tenellis
Os balbum format pueris animoſque, docetque
Et ſapere et fari. Sacro de codice ſumpta
Dogmata proponens, digitoque notante ſequaces
Attrahit inculcans oculos ; ſtat parvula pubes
Expectans monitus, pendetque docentis ab ore,
Præſcriptas iterans voces et non ſua verba :
Dulces blanda ſonos inhianti devorat ore,
Et mirans docili matertera plaudit alumno.
O quantum eſt teneræ pietatis ſemina menti
Indere, Chriſtiadumque futuram condere gentem ?
Ne mihi jam libeat mirari Rhetoris artem
Urbani, qui magna ſonans, plaudente popello,
Aſtruit inſidias deluſæ blandulus auri :
Te potius, ſacer interpres, te ſimplice cultu
Verba perorantem divina audire juvabit,
Atque inter pueros elementa revolvere prima,
Aurea diſcentes vitæ præcepta beatæ.
  Macte Puer, firmata virum cum fecerit ætas,
Ipſe ſacramentum Chriſti jam miles adultus
Suſcipe : militiæ ſub eo tolerare magiſtro

500 *Catechizatio.* 519 *Confirmatio.*

Diſce rudimenta atque novis aſſueſce triumphis.
Votivæ pietatis adeſt Eccleſia teſtis;
Quin et Apoſtolicum ſervans ex ordine ritum
Antiſtes mitratus adeſt, non irrita vota
Concipiens, poſitaque manu ſuper, *Hoc tibi, Chriſte,*
Addictum defende caput. — *Quin tu quoque, fili,*
Macte nova virtute, Deuſque incepta ſecundet.
Ecquis vera cupit ſocialis gaudia vitæ?
Oderit impuram venerem, vetitoſque hymenæos,
Concubituſque vagos, neque turpi peccet amore:
Sed puro de fonte fluat ſincera voluptas;
Connubiique adeo, qui junctas continet omnes
Unus amicitias, caſtum experiatur amorem.
At ne te pudeat profiteri nomen honeſti
Fœderis, O! Virgo; jamdudum Sponſus ad aram
Te vocat, increpitatque moras; jam rite Sacerdos
Sacra parat, ſancti jus inviolabile lecti
Commendans, dextramque perenni fœdere dextræ
Conjunctam, digitoque addicti pignus amoris
Vinclum aptans omnique auro pretioſius aurum:
Et gaudere jubet diſcedens non ſine votis:
" Vivite felices: irruptaque nectat amore

530 *Matrimonium.*

" Copula

"Copula concordes animas dum vita manebit."
Quale Sacerdoti tali pro munere munus,
Sponſe, dabis? —Nec te, O! magnis erepta periclis,
Pœniteat, toties impune puerpera Mater,
Lucinæ meminiſſe tuæ melioris, ad aras
Rite Deo grates votivaque dona ferentem.
Sic vobis parili cum laude ſimillima proles
Floreat: illa ſimul creſcet, creſcetis amores.
Quiſquis es, O! vitæ finem ſpectare memento:
Diſce mori, ſubiens moribundi limen amici:
Ille miſer dubiæ fluitat ſpe pendulus horæ,
Et, propiora videns gemini divortia mundi,
Impatiens cæco curarum fluctuat æſtu,
Præteritæque memor vitæ metuenſque futuræ.
O quis in extremo diſcrimine ſublevet ægrum?
Quæ panacæa valet tantos lenire dolores?
Ecce vocatus adeſt mæſta pietate Sacerdos:
Ille bonus medicas voces et verba miniſtrat
Triſtia curarum mulcens, animumque labantem
Erigit, oſtenditque novum poſt nubila ſolem,
Sidereaſque domos, et lucida regna piorum:
Huc procul aſpirare et ſpe præſumere cœlum

545 *Purificatio.* 551 *Ægrotorum viſitatio.*

Haud

Haud vanus monitor docet, et prece ſedulus inſtat;
"Chriſte Deus, miſerere, tuo de lumine lumen
"Afferat irradians ægræ ſolatia menti!
"Puraque tranquillent fugientem gaudia vitam!
  Nunc ades, extremo fratrem comitatus honore:
Aſpice, procedit pullati pompa doloris,
Siſtitur et tumuli lacrymabile funus ad oram:
Non conducta canit præſcriptum Præfica luctum,
Non Præco titulos mendaci voce recenſet:
Sed pius orator vocat ad cœleſtia mentem:
Vita caduca, vale: mortalis floſculus ævi
Jam viget, et jam nunc moritur ſucciſus aratro,
Præterit umbra levis, laſcivaque tranſit imago.
Proh dolor! in media viventes morte tenemur!
O miſerere, Deus! vitam ſperare futuram
Da, pater, æternique horroribus eripe lethi!
  Nunc O! ſic poſitum tumulo ſubmittite corpus:
Sic redit in terram moles terrena parentem,
Et cinis in cinerem fato revocante priorem!
  Ter projecta ferit crepitans lugubre ſonanti
Deſuper impulſu tabulatum gleba cadaver:
Ter lacrymas gemituſque ciet triſteſque ululatus

569 *Funebria.*

Heu

Heu moritura ſuper crudeli funere conjux.
Tum primum rigidi miteſcere corda coloni,
Aſperaque inſolitis humeſcere fletibus ora.
  Ergo erit illa dies, cum te, venerande Sacerdos,
Te tua fata premunt, longique laboribus ævi
Defunctum nox ſera manet? — Jam frigida, greſſu
Obrepens, ceu triſtis hyems, fallente, Senecta
Membra minutatim morbo collapſa fatigat,
Affigens lecto morituri debile corpus.
Qualis humi laſſa cervice recumbit ariſta,
Quales maturi labuntur ab arbore fructus,
Talis ei juſto decurrit vita tenore,
Qualis ab incepto proceſſerat, et ſibi conſtans
Ad notam properat declivi tramite metam.
Quin et in extremo diſcrimine mitis eunti
Sternit iter placidum duro Patientia riſu, et
Recti conſcia mens, et Spes præſaga futuri.
Non queruli gemitus, non mæſtæ nubila frontis
Apparent, ſed cuncta ſedent tranquilla, Quieſque
Aſpera demulcens, ſupremo in fine, laborum,
Occiduo ceu ſole diem claudente ſerenum.
  Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas
Et vitæ mortiſque vias, cœlique profunda!

Fortunate

Fortunate senex, ergo tua vita recedit,
Et tibi longa satis, quia non sine laude peracta.
Ergo nec lethi, qui cætera territat, horror
Mente quatit solida. Pauli jam cerno triumphum
Morte super domita et vacuum terroribus orcum.
Qualis Hebræorum ductor jam morte sub ipsa
Impavidus Nebonis adit fatale cacumen,
Visurus longe promissa Nepotibus arva;
Atque ibi, venturæ lætatus imagine sortis,
Mortales visus occulto funere fallit,
Jussa Dei quocunque vocant revocantque secutus.
Tu quoque, die senex, extremo in limine mundi
Regna Palæstinæ cœlestis, et arva Beatis
Prospiciens promissa, velut peregrinus et exsul
Hæc subjecta retrò mortalia linquis, et ultra
Extendis curas, vitæ cœlestis amore.

613 1 *Cor.* 15. 615 *Deut.* 32 *&c.*

EDVARDO BENTHAM, *S.T.P.*

Coll. Oriel. *Soc.*

QUÆ juventutis Academicæ in usus edenda curavi, ea Tibi imprimis prælibanda trado: intelligas hac in re plus a me tribui judicio tuo, quam aut ingenio aut voluntati meæ. Et Te quidem, lubens Tutoris *nomine*, honoris causa, *compello, cum, quas tanti muneris ratio postulat, virtutes in moribus tuis existere & ipse sentiam, imo et* invita fatebitur usque Invidia. *Et quoniam in superiorum temporum memoriam redire juvat, ibi sane video quod jure mihi gratuler, cum Te Pupillum recognoscam meum, non modo sanguinis cognatione devinctum, sed etiam officiorum honestissimorum, & amicitiæ necessitudine potiori commendatissimum. Hæc recolentem fateor mihi me placere, & priore frui vita,* Tutorem *jam olim emeritum, studiorum interim ratione & affectu animi semper Academicum; qui etiam absens laudibus vestris adhuc interesse videor, nihil a me alienum putans, quod aut cum fama tua aut dignitate publica conjunctum viderim.*

Itane vero censes literarum humaniorum studiosis opellam profuisse nostram, aut prodesse posse? — Eam certe, qualis qualis fuerit, scias Tibi Tuisque haud defuturam. En ergo scriptionis exemplar singulare; in genere quidem

dem laudatorio; *quod, cum ad laudationem unice comparetur,* Elogium *vocari ſolet.*

Probe noſti Opera quædam poſthuma Viri deſideratiſſimi, jam aliquot abhinc annis edita, hanc commendationem noſtram ſecum traxiſſe unà ſuæ comitem atque miniſtram famæ: Veruntamen iteratæ hujuſce editionis cur aut Lectorem aut Scriptorem pœniteat haud ſane video; ſiquidem aliqua aut laudis privatæ, aut utilitatis publicæ gratia quæratur. Namque ut, quod res eſt, loquar, nunquam cupio magis ut mihi exultet atque triumphet oratio, (veniam dabis arrogantiæ non inboneſtæ) quàm cum virorum illuſtrium memoriam in famæ celebritatem atque ſplendorem revocare aggreditur, & præclara quædam aut virtutum aut ingenii monumenta poſteris imitanda commendat. Ita ſaltem de Eccleſia atque Republica bene mereri velim, ut viros de iiſdem bene meritos præconiis ſtudeam debitis coboneſtare; adeo ut, quod fuerat pietatis privatæ teſtimonium, idem ſimul commodo inſerviat publico, efficiatque, ut Exempli tam laudabilis recordatio & Scriptoris inter primos eximii gloria celebretur, poſteris uſque profutura, quamdiu hominum animis inſederint præclari alicujus operis & admiratio & æmulatio. Et eo quidem animo hæc a me dicta intelligi velim, ut ad Theologi, cujus imaginem ante oculos poſui venerandam, opera omnia, quibus nihil fere habemus elegantius graviuſve, ſedulo perlegenda juventus Academica excitetur.

Jam vero de hac ſcriptionis noſtræ forma ſingulari hæc pauca mecum recognoſce. Unicuique nimirum ſtylo

proprius

proprius est, ut ita dicam, color & figura. At vero Elogium, *utcunque ad genus Oratorium referatur, illud habet peculiare, ut in eo verborum non tam copia, quam delectus exigatur. Laudatio nempe exhibetur magnifica quidem, sed eadem compendiaria; multum habens nitoris, neque simplicitatis minus; dictio ubique pressior, atque elaboratior; sententiæ densiores atque argutiores; & plerumque in periodorum clausulis acumen pene Epigrammaticum; ex quibus illa, quæ in Oratoribus sæpius desideratur, δεινοτης effici possit.*

Sentis profecto mecum una quàm sit operosum atque perdifficile hoc scribendi genus: vides quàm undique anceps cura & sollicitudo exerceat de summa rerum caventem; ne scilicet infra argumenti dignitatem impar oratio subsidat — ne forte legenti aut hinc tædium pariat narrationis historicæ simplicitas inornata, aut illinc fastidium Criticum provocet argutiarum frequens affectatio; ne forte aut in obscuritatem abeat elaborata brevitas, aut in hyperbolen excrescat ambitiosa nimis grandiloquentia.

De opusculo quidem hoc nostro nihil aliud Tibi polliceri ausim quam quod, prout Tituli, quem præfert, ratio exigit, exhibeat elogia mera: obtrectationem nullam, Partium offensionem aut adulationem nullam, nihil denique ad odium aut invidiam sinistre detortum; sed Hominis Theologi virtutes ita laudatas proponat, ut Lectori sedulo imitandas commendet.

Hæc præfatus, tanquam hospitem officiosus præco, ad sepulchrale marmor te deduco, Elogii, quod inscriptum vides, exploratorem curiosum, censorem benignum.

ELOGIUM

Sacrum MEMORIÆ

JOHANNIS ROGERS, *S. T. P.*

Eccl. Wellen. Canon. & Subdec.

Vic. de Cripplegate, Lond.

Reg. Maj. a Sacris. Ob. 1729.

CHriſtiane Lector, quicunque vel Eccleſiæ vel Reipublicæ Civis vixeris idoneus, Gratulationis ſimul & Doloris accede noſtri Particeps, Beatam recolens Memoriam JOHANNIS ROGERS; Viri, inter S. T. Profeſſores merito ſuo celeberrimi: Qui recenſet Titulos, idem ſimul laudat Virtutes.

In Scriptis, juxta ac Moribus, eminebat Gratia Pietatis vere Sacerdotalis. Aderat Animi Magnitudo, & Moderatio, cuilibet Muneri, Fortunæque, ſive ſuſtinendæ ſive ornandæ, par: — Ingenium porro ſingulare; cujus Acumen invita laudavit Obtrectatio; cujus vim auſpicatam teſtabitur uſque Defenſa Veritas, Refutatus Error.

Scriptor, Indolis Styliqne juxta felix, Controverſias graviſſimas ſuſcepit, adminiſtravit, exhauſit; Chriſtianæ Religionis

Religionis & Libertatis Vindex, Licentiæ Refrænator; idem optimus & Sacerdos & Civis. Quod erat Fortitudinis Christianæ, Deo soli placere studens: Quod erat eximiæ Moderationis, in Dogmatis statuendis, Sectæ nullius vel Princeps, vel Assecla: in Controversiarum Actionibus non Litigator, sed Arbiter: Quod demum miræ erat Felicitatis, sine offensione Partium, sine invidia Victor: Contentionis potius oblivionem quærens, quam Triumphi gloriam; Tranquillitatis publicæ studiosior quam Famæ suæ.

Nihil arripere temere præjudicatum, sed ex Meditationis severæ officina omnia bene pensitata & explorata proferre, tueri: Veritatem unice oculo irretorto investigare: antiquæ Stabilitatis Præsidia, non Errorum vel Perfidiæ Involucra quærere: non Hominum merita, sed momenta Rerum perpendere: Offensionum materiem non subministrare, sed præcidere; — *Disputandi*, hæ illi erant Artes.

Quam in CHILLINGWORTHO jure mireris, Copiam & Subtilitatem; quam in eodem forte desideres, Gravitatem & Constantiam; quæ demum in HOOKERO suo erant summa omnia, ad caussæ consimilis defensionem conjuncta feliciter adhibuisse, — hæ Illi erant Laudes.

Politia nostra Anglicana, tum Ecclesiastica, tum Civilis, Incolumis usque tuebitur Honoratam Vindicis sui Memoriam: &, quæ rebus novis studentium Commenta delet, sera dies confirmabit Judicia JOHANNIS ROGERS.

Concionanti

Concionanti aderat nervosa, simplex, flexanima, & spectabilis quædam Facundia; Stylumque neglecta sequebatur Elegantia: Ita ut nihil ad docendum aptius audiverit Plebs Rustica, nihil popularius Londinensis, nihil demum gravius subtiliusve Academici. Ubique mirabundus agnoscas Ingenii multiformis hominem, inter Oratores Dialecticum, inter Dialecticos Oratorem, omnimoda dicendi laude cumulatum.

Non Aures leviter delinire, sed corda ferire, perdomare; super rebus arduis Consulentium animis scrupulos eximere; Pontificiorum fraudes & insidias Simplicitate ipsa eludere, superare; Schismaticorum pervicaciam Benevolentia frangere, expugnare; quoquomodo Dissentientes conciliare; errantes dirigere; vacillantes confirmare; omnes demum Consilio flectere, Auctoritate moderari; ea erat Illi *Curarum privatarum* summa; id erat illi Eloquentiæ Sacerdotalis Palmarium. In hac præsertim parte triumphabat Orator vere Christianus, Divini Juris Consultus, Interpres fidissimus.

In *Consuetudinis Domesticæ* officiis quam amabilis fuerit, Maritus, Parens, Frater, Amicus, etiamnum testantur suorum Lacrymæ & suspiria. En, laudis instar amplissimæ, commune Desiderium!

Rei Familiaris Dispensator prudens, ab Ostentatione Luxuque abhorrens, ex honesta Parsimonia Liberalitatis melius collocandæ subsidia quæsivit. Magni erat instar Beneficii illum habuisse Antecessorem, quem nulla fere

Domus

Domus Ecclesiastica aliquandiu exceperat Incolam, quæ non postmodo agnoverit tantum non Fundatorem.

Publico Splendore, Dignitate, Commodo gaudebat, ut suo: Ptochotrophiis, Eruditionis Christianæ Scholis, Clerici nominis Viduarum et Orphanorum Hetæriis aderat Fautor, Vindex, Patronus, Consiliis, Eloquentia, Liberalitate.

Otio florebat nec inerti nec infructuoso, Artium etiam Mechanicarum Cultor; in ipsis Studiorum oblectamentis ea assecutus, quæ industriæ alienæ Laudem adæquaverint.

In *Negotiis* obeundis ea erat, quam in homine Politico laudaveris, Solertia: ea interim, quam in Ecclesiastico postulaveris, Innocentia.

In *Colloquiis* inerat vivida quædam, et, quæ Sodalem maxime commendat, Hilaritas faceta.

In *Congressibus* porro *quibuscunque* ea, quæ hominem Liberalem decebat, Comitas: quæ Academicum, Simplicitas: quæ denique Clericum, Severitas reverenda. Illustrabat hæc omnia Animi ingenita Celsitudo, laudabilis Superbia, generosa quædam Dignatio, posthabitæ secura Famæ: qualem profecto neque jure quisquam reprehendere, neque forsan sine reprehensione imitari potuerit.

In curriculo Gloriæ multiplici non frustra exercebatur Hominis tanta Virtus; inter Aulicos sine Ambitione, inter

inter Superiores ſine Invidia, inter omnes ſine Faſtu ſpectata, adulari prorſus indocilis, Laudum pariter & Obtrectationum Contemptrix, Injuriarum ſedulo inſcia, ſponte immemor, ignoſcendo certe pluſquam Victrix.

In hominum frequentia negotiiſque jamdiu multa cum laude verſatus, Vir pius & ſapiens voluit aliquando Otio frui, ſibi aliquantiſper vacare, publicis interim utilitatibus non deeſſe. —— Verùm (quod Eccleſiæ bene verteret) ex amabili ſeceſſu in urbis celebritatem pene invitum revocavit Benevolentia ſingularis Patronorum, quibus ita placuiſſe Meritorum erat Commendatio plane invidenda, Elogio omni longe honorificentior.

Ibi, cum quod reliquum erat temporis Deo conſecratum impenderet, Animæ magnæ plus æquo prodigus, &, quod fuiſſet prudentiæ opus mirificæ, CRIPPLEGATENSIUM etiam ſuorum Animos aliquando conciliaturus, in ipſo honorum aditu, Famæque creſcentis flore, Temporibus Eccleſiæ certe alieniſſimis, Conſilia ſua honeſtiſſima, & ingentes bonorum omnium ſpes, Febre præreptus luctuoſa feſellit. —— Fortiſſimi Vir Animi, in ancipiti illa trepidatione, in ſupremo illo diſcrimine, ſibi conſtans, quod ſupererat Spiritûs in pias pro Eccleſia preces moriens efflavit.

Mecum ergo, Lector Chriſtiane, hæc damna luge publica; tam pretioſi capitis deſiderio tangi Pietatis

M laus

laus eſt non infima: at æmulari potuiſſe, illa fuerit Ingenii, illa Morum, Laus pulcherrima.

Faxit Deus ut Virtutum tantarum, unde ad Eccleſiam, ad Rempublicam, fructus redundârunt uberrimi, honeſtiſſima vigeat uſque Memoria, poſteriſque proſit Exemplum; ut aliquando minus deſideretur ille quem nunc requirimus, JOHANNES ROGERS.

LECTORI S.

LIBET tecum, Lector benevole, paucis præludere. En tibi legenda exhibentur Μελετηματα, *quæ quidem* ὁ δεῖνα *noster diversimode scripsit, non tam de industria ingenii laudem quærens aliquam, quam animo obsequens suo, & e prolusionibus hujusmodi molestiarum levamen petens honestissimum. Eodem plane affectu consilioque usus* Editor *in lucem nunc prodire jubet, ita tamen ut rem tibi nec ingratam nec inutilem facturus videatur. Quid autem? quid ipso in limine moraris, & pro consuetudine forsan scriptoris anonymi nomen quæris? profecto, mi homo, curiosius id facis quam causa postulat; quin ipsa potius scripta mecum recognosce: siquidem in illis nihil homine ingenuo & liberali vel etiam Theologo indignum compereris, quid est quod & te Lectoris, & me Editoris officio functum pœniteat?*

Ego quidem in republica literaria civem me versari sentio ita animatum, ut quacunque in re prodesse me posse existimem, in ea libenter operam omnem impendam: atque adeo, M. T. Cicerone *usus autore, cum stili,* qui est optimus & præstantissimus dicendi effector & magister, *in genere diverso exercitationem continenter adhibendam præceperim, id interim egi sedulo ut præceptis atque cohortationibus exemplorum quoque lumen quoddam accederet; & proinde ut scriptionum diversa linguis, dictione, metroque*

exemplaria, quæ in manus venerint suo quæque genere præstantissima, in medium prodirent scribentium usibus accommodata; & eo præcipue consilio, ut adolescentes literarum studiosi, tum subsidiis hisce instructi, tum etiam incitamentis provocati, ad honestam alienæ laudis æmulationem erigerentur, in eodem curriculo ingeniorum vires periclitarentur, &, quas haud frustra admirantur, scriptiones imitando exprimere & exsuperare contenderent.

Atque utinam, qui ingenii & eruditionis fama florent maxime, iidem animo magis liberali rebus nostris succurrerent, nec, quæ in materie diversa præclare scripserint, ea nobis fastidiose inviderent: sed potius in communem usum fructumque efferre non dubitarent, laudesque recognoscerent suas cum utilitate publica conjunctas. Interea vero hac in parte mihi laudanda videtur illa hominum nostrorum curiosa sedulitas, quæ ἀνέκδοτα pleraque e scriniorum latebris hinc & inde conquisita produxerit, & quidem permulta notæ melioris poemata, alioquin forsan peritura, ab interitu vindicaverit. Hoc ipsum meditans cupiensque libellulum hunc lectioni commendo tuæ: an hac in parte opera fuerim abusus mea, disquisitione habita tu judex videris.

Quid enim? an rei novitas *placet? an* rariusculum *quiddam & singulare requiris? haud sane eo nomine sua opusculo deerit commendatio. Vide enim ipsam Scriptionis occasionem, &, quæ aliquando scribenti insidebat, affectionem plane singularem. Ecquid ea rarius & inusitatius nosti? en, quod mireris, homo febri perustus, exsanguis, vigiliis, inedia, & medicinis prope enecatus, in hac rerum suarum trepidatione & discrimine ultimo intrepidus & tran-*

quillus

quillus ita animo imperavit suo, ut cogitationes turbidas in ordinem, & quidem metri vinculis astrictas, componeret, &, in carcere suo Manl. Sever. Boethii *mores & studia secutus, e philosophia malorum consolationem & remedia depromeret, musasque haud invitas in subsidium & oblectamentum vocaret, ægritudines in carmina effunderet, atque adeo ipsis e doloribus dolorum lenimen quoddam placidissimum eliceret! Quidni hic cum* Horatio *exclamare libeat,* O te, Bollane, cerebri felicem, *qui cum insania tua neutiquam insanieris; cui in corpore morbido & moribundo mentis interea sanitas constiterit illæsa; qui etiam in asperitatibus rerum lusui haud illiberali vacare potueris, ita ut ingenii febricitantis æstus in furorem quendam poeticum ultro transfusus effluxerit. De pathemate hujusmodi quid statui oportet haud facile dixeris: unde homini sic affecto tam rara contigit felicitas? Vobis præcipue, O Medici & Physiologi, qui sapientiæ cujusdam profundioris speciem verbis voltuque prætenditis, problema hoc expediendum relinquimus.*

Ne autem nugas tibi venditare videamur, ipsum opusculi hujusce Argumentum *perpende: haud leve quidem illud aut vulgare, sed arduum & cura severiore dignum; quale tibi haud temere incusserit sollicitudinem nec injucundam nec infructuosam. Nempe tua res agitur, dum aliena describitur; &, siquidem animo tuo aut humanitatis, aut amicitiæ, aut pietatis sensus aliquis insederit, ad te cognationis quodam jure dolores translati redundant.*

An porro Varietatis *gratiam quæris? hæc certe in spatio brevi tibi exhibetur uberrima: vide enim scriptionis colorem & figuram, non unam illam simplicemque, sed pro*

re

re nata variam & multiformem, permulta genere & specie discreta, Vernacula, Latina, Græca: en linguarum stili metrique diversitatem, quæ saltem legenti tædium minuere, vel forsan acumen criticum non frustra exercere potuerit!

Quinetiam hoc mecum denique recognosce; nempe quam pauci in hoc scriptionis genere præclarum aliquid effecerint: ex quo illius difficultas *intelligatur. Quid autem? forte inquies: "inest grande dolori ingenium, & mira quædam "sententiarum & verborum copia; neque Scriptori faci- "lior & paratior ulla videtur laus quam in causa hujus- "modi, in qua difficile est omnino* non *scribere."—Itane vero? at experiendo mecum una senties, in qua re animus vehementius commovetur, in ea quam difficile sit in scribendo modum tenere. Itaque ergo tam pauci id ipsum, in quo scriptionis vera laus continetur, attigerunt. Utrobique scilicet objicitur discrimen anceps, & peccandi periculum. Delicata quædam res est ægritudo; nihil mediocre, nihil vulgare recipit patiturve: ipsa in taciturnitate nescio quid* εμφατικωταῖον *spirat: aliquando etiam in querelas teneriores solvi gaudet, & lacrymas elicit* Simonideas, *πολυδακρυν ἀδοναν, flebile gaudium, tristitiamque dulcedine quadam temperatam. Equidem* το παθητικον, *veluti totius animam, ubique dominari velim; nec minus interim stili castitatem & continentiam quandam servari: & profecto haud paulum interesse censeo, an ex animo omnia, ut fert natura, facias, an de industria. Dolor fictus & affectatus spiritu poetico ut plurimum destituitur, rerum evanida languet adumbratio, & nimium castigata friget descriptio. At vero altera ex parte Dolor genuinus plus æquo exuberare gestit*

latiusque

latiusque se effundere & exultare, & in effrænem quandam verborum licentiam & luxuriem præcipitari. Inde adeo præcipue Elegorum scriptoribus hoc incommodi toties contigisse videmus, ut, in quo sibi placebant maxime, in eo lectoribus minus placerent; cum nempe affectibus suis plus tribuerint quam judicio alieno, & plerumque minus nota pro notioribus, & domestica pro publicis, & extra causam nimis multa, male officiosi, ingesserint: ipsa profecto dicendi copia inopes fecit & indisertos; ita ut in loquacitate tanta veræ interim eloquentiæ laus desideraretur. Quæ cum ita sint, qua in re difficile est non peccare, in ea leviter & non ultro peccanti venia facilior indulgeri debet. At vero siquid hac in parte ὁ δεῖνα noster feliciter assecutus fuerit, est profecto quod sibi gratuletur, &, quicquid præter spem laudis obvenerit, id omne lucro apponat.

Hæc adeo præfanda duxi, ne forte viderer tibi leviuscula in re operam temere collocasse; utque porro intelligeres siquidem ullatenus valeat argumenti ipsius dignitas, aut scribentis affectio singularis, aut denique scriptionum hujusmodi novitas, aut difficultas, aut etiam varietatis gratia, ex omni parte causas totidem occurrere, quæ opuscula hæc pro merito suo e scriniorum latebris in reipublicæ literariæ lucem evocarent.

Quinetiam rationes quædam privatæ & fortuitæ accesserunt, quibus fateor me adductum ut hoc ipso tempore id fieri studiosius cuperem. Nuper enim rusticanti mihi cum recens doloris domestici vulnus recrudesceret, animusque ingrata sollicitudine totus occuparetur, haud sane incommode mihi μελετηματα hæc in manus venerunt: pro eo, qui tum

erat,

erat, colore mentis, umbram & solitudinem potius quam solem & celebritatem quærentis, haud parum placebat illa rerum tristissimarum concolor descriptio; placebat meditationum severitas tranquilla, & sententiarum pondus, tum etiam stili rythmorum varietate exultantis castigata luxuries. Videbar ego mihi cum ægrotantibus & afflictis haud illibenter versari, cognata sentire damna, & in doloris tralatitii societatem admitti; homo cum sim nihil humani à me alienum puto:

Sunt lacrymæ rerum & mentem mortalia tangunt.

Et quemadmodum tenebrarum, solitudinum, & periculorum in tabula descriptus horror sequaces trahit oculos, animumque affectu dubio suspensum ita conturbat & percellit, ut etiam recreet & oblectet, sic, quæ humanitus acciderint, rerum etiam luctuosarum historia ipsius humanitatis cognatione quadam devinctos tenet, & sensibus nostris atque judiciis se insinuat. Ut Pictura, Poesis quoque animum capit, imaginum varietate amabiliter delusum ab omni molestiarum sensu ad tempus abducit. Mæstitiæ præsentis oblivionem inducit præteritorum haud insuavis recordatio: quæ perferre pigebat, mala eadem postmodo incolumes meminisse juvat; & tempestatem exhaustam multo jucundior subit tranquillitas.

Inest profecto curis severioribus dignitas quædam, quæ reverentiam conciliat, quæ ingenii temere lascivientis ineptias castigat, & rerum pondere ipso impresso locum sibi vendicat, & etiam invitis se commendat: Ut in Musica, graviores toni non tam auribus illusis adblandiuntur, quam interiores

teriores feriunt ſenſus, mentique animoque ſe ingerunt, & affectibus ſedatis dominantur. Quid Tragœdia? etiam, dum το ελεεινον και φοβερον *ingenerat, nonne itidem oblectamenti quiddam una admiſtum affert; nempe lacrymas tibi exprimit; ſed eas, quas tu nullo fere pretio cohiberi velles. Quid porro* MILTONI Il Penſeroſo? *qualem tibi legenti ſive triſtitiam ſive tranquillitatem obrepere docet, ita ut, uno quaſi in obtutu defixus, aliquandiu te tibi ſurripi gaudeas, liberum & otioſum & ſollicitudine placidiſſima perfuſum huc illuc expatiari? Nempe ut laborum, ita & luſionum quotidianarum & gaudiorum tumultuantium aliquando ſatietas ſubit & faſtidium: aliquando geſtit animus conquieſcere, è celebritate ſtrepituque in otium & ſolitudinem, è ſole & pulvere in umbram imo & tenebras recedere, ſibi totus vacare, & ſecum una philoſophari. Aliquando placet & ſubfuſcus vitæ color, imo pene dixerim &, ille Morbus Anglicus,* Melancholia; *ea certe, quæ* Miltoni *carmine elegantiſſimo deſcribitur, Matrona geſtu compoſito decora, veſtitu pullato venerabilis, aſpectu non molli aut blandiente, nec tetrico nec inamabili, ſed placide ſevero, ſed reverendo; Matrona, meretrici diſpar atquè diſcolor, ab impura levitate omni prorſus abhorrens: quam ſequitur nocturna comes, philoſophiæ nutrix,* Meditatio, *animique ſeipſum caſtigantis quaſi in nodum collecta Cogitatio. Severitati huic tranquillæ propria quædam ineſt gratia & dulcedo, ipſâque è triſtitia hujuſmodi bene temperatâ, neſcio quomodo, voluptas quædam delicata naſcitur. Sylvas caligantes formidine demulcet Philomelæ cantus, attentam aurem animumque capiunt querelæ ſuaviſſimæ, noctique inamænæ*

mœnæ miram affundunt amœnitatem: Haud aliter animo languenti Musa philosophica medicinam amabilem adhibet, efficitque ut horror omnis mitescat, & ipsæ ægritudines minus displiceant.

Quamobrem desine mirari siquando æger animi & perturbatus in his Meditationibus defixus conquieverim, in illarum lectione ita versatus, ut exinde curarum levamen & solatia peterem, atque adeo scribenti comes assistere viderer, illius in partes tanquam Advocatus ultro transire, illius affectus omnes ad me tranferre profecto à re mea haud alienos, cum illo una malorum quasi vestigia relegere, pristina renovare pericula,

— Quæque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui.

Quid in Carthagine Æneas *è naufragio hospes attonitus? qualem illi affectum inesse dicas, dum picturato in pariete*

Defixus videt Iliacas ex ordine pugnas,
Se quoque principibus permistum agnovit Achivis?

Scilicet animum pictura pascit inani, hoc meditationum pabulo refici se & recreari sentit, ita ut, qui jamdiu inveteraverant, dolores spectaculi recentis admiratio prorsus absorberet, & è præteritorum memoriâ instantium malorum consolatio quædam suboriretur. Quidni Ego *itidem animum picturâ inani pascerem, & ex historiâ flebili aliquid excerperem, quod mihi usui fuerit vel oblectamento? quidni fraudem hanc bellissimam mihi ultro*

fieri

fieri paterer, & hoc mentis errore gauderem gratissimo, qui mihi molestiarum sensum omnem fefellerit vel lenierit? Scitum profecto illud est ita philosophari posse, ut incommodis ex alienis imo & tuis aliqua compares commoda: quod ipsum mihi hâc in re ut contingat velim. Nollem certe, præter quæ res ipsa fert, alia insuper mala accersere; sed quæcunque humanitus acciderint ea patienter feram, aut arte corrigam; donec aut longa dies dolori callum obduxerit, aut novæ occupationes quædam interjectæ animum, quasi sui immemorem, à curis molestioribus avocarint. Non mærore vano me prosterni, aut otium mihi prorsus languere patiar: cogitationum pabula quædam generosa quæro, materiemque dignam, in qua mentis & ingenii vires exercitentur, ita ut studiis liberalibus occupatus animus sibi placeat lusu delectatus suo; atque adeo, quicquid habet miseriæ domesticæ, id omne aliorsum traducat ejiciatque, & tanquam ex peregrinatione aliquando tranquillior & hilarior ad se redeat.

Ab homine quidem Christiano unde certissima ægritudinum sive remedia sive solatia hauriri possunt & debent, experiundo sentiens mecum una intelliges,

Εισιν δ' ἐπωδαι και λογοι θελκτηριοι·

Quid enim divina docent oracula? Ecquando animus tibi male se habet? ecquando dolorum aculei vehementius cruciant? quid restat? in Deo fiduciam repone omnem: huc animum advorte totum; hinc tibi è tenebris lumen affulgebit, in re desperatâ salutis spes unica, vitæque demum vitalis gaudia. Num vere philosophari cupis?

en sapientiæ cælestis dogmata & præcepta τα δυναμενα σοφισαι εις ζωην αιωνιον· *Mortalis immortalitatem cogitationibus & desideriis amplectere, fatisque contraria fata rependens corporis fragilitatem & ruinas disce minus perhorrescere. En* ψυχης ιατρειον, *disciplinam salubrem certe, sed nec ingratam; quæ, humanâ sorte major & ingenio, corda subigit excutitque, ostendens tibi te, curarum lenit acerbitates,* & te tibi reddit amicum.

En materiem, cui pro dignitate suâ verbis ornandæ non ipsa M. Tullii *eloquentia suffecerit? Permulta quidem ab illo de philosophiâ suâ morali in* Tusculanis *præclare dicta accepimus: sed quanto verius & magnificentius eadem de sapientiæ nostræ cælestis laudibus prædicari potuisset? Vide quo te deduci velim,— ad id ipsum, quo nihil in votis studiis prius potiusve posueris; quippe quo nihil ad felicitatem veram consequendam accommodatius.*

Verum enimvero ex omnibus, quæ aliunde *petuntur, hanc certe, quam Musa philosophica præstat, animi remissionem longe humanissimam & liberalissimam jure existimabis. Aliquam sane levationem requiemque ægritudo omnis desiderat: in querelas, gemitus, lacrymasque solvi impotentis est animi & mollitiæ plane muliebris: mala vero perferre, contemnere & superare posse, est cujusdam sapientiæ singularis & fortitudinis; sed consilio regere & moderari, meditando lenire & consolari, atque adeo tristitiæ serenitatem quandam affundere — illud est præclarum quoddam Philosophiæ opus, non quidem illius jejunæ, subtilis & contentiosæ, quam apud* Græcos *veteres Sophistæ coluerunt; sed illius, quam* Socrates *è Scholis in*

vitam

vitam civilem, usumque reipublicæ communem traduxit: quam M. T. Cicero *non sine exultatione quâdam* vitæ ducem, morumque magistram *agnovit: cujus ad bene beateque vivendum vis latissime patet, cum animorum motus omnes tranquillet, & ipsi fortunæ dominetur, casus etiam adversos corrigat, & è malis eliciat bona, vitæque demum tenorem & decursum æquabilem conservet; quemadmodum Ars Musica lenia cum severis, acuta cum gravibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit. En efficacem animi ægrotantis medicinam! huic disciplinæ te assuescere atque ita demum philosophari velim, ut verus aliquis sapientiæ fructus quæratur cum ingenii laude conjunctus.*

Quare cum M. T. Ciceronis *mentio toties inciderit, video mihi occasionem haud incommode oblatam, ut, quod de operibus illius philosophicis magnifice sentio, id libenter prædicem; atque adeo juventuti præsertim Academicæ præ cæteris quibuscunque studio acri & constanti legenda imo & animis inserenda commendare non dubitem; non modo, quia ex iis & multa sapientiæ dogmata & ad mores regendos & conformandos præcepta saluberrima hauriri possunt, verum etiam quia hoc æquabile & temperatum dicendi genus absque offensione ullâ in obvios hominum sensus atque judicia incurrit, ad omnium captum usumque communem accommodatius, ac proinde faciliùs imitatione consequendum. Quam mira in eo philosophante cogitationum celeritas atque comprehensio, rerumque perceptarum perspicuitas & lucidus ordo? in promptu verba & sententiæ, quasi in medio positæ, quales*

ad

ad quamlibet fere rem tuam aptiſſime transferas! Quin hoc age ſedulo, ita ut lectioni inſtitutæ accedat inſuper ſtili exercitatio nec infrequens nec indiligens: ſenties transfuſam ultro inſinuari dictioni novam quandam puritatem & elegantiam, atque adeo demum effici genuinum orationis Latinæ colorem & figuram. Vide id ipſum quod in ſcriptoribus hodiernis ut plurimum deſidero; quod quidem deſideratum hâc præcipue operâ corrigi vel ſuppleri velim. Hoc proinde conſilio Ciceroniana *hæc noſtra præ cæteris ſtudioſe legenda tibi commendamus: non* oratoria *quidem illa, quæ & laude & ingenio noſtro majora imitationem omnem fulgore ſuo extinguunt obruuntque, ſed* philoſophica, *ſed exemplar quoddam imitabile, ſed quæ, ad mores uſumque communem pertinentia,* Ciceroni *filio pater prudentiſſimus ſtudioſe legenda commendavit. De utriſque vero ipſe auctor, quid ſentiat ſic mecum collige; nempe ut illa quidem ſint ſplendida magis & magnifica, plus gloriæ & admirationis habitura, at hæc noſtra plus ſapientiæ & utilitatis, imo &, quantum ſatis eſt, eloquentiæ.*

Quare ſiquidem M. T. Ciceronem *pro ſe & ſua loquentem audire velis, non ad Forum, non ad Curiam, non ad Tribunalia te voco, ubi auribus attonitis clamor quidam obſtrepit, ubi ad ambitionem, & ad aliena potius judicia componitur illa flexanima oratio; ſed in ruris otium & ſolitudinem, in* Tuſculanum *te comitem abduco. Juvabit ibi colloquiis intereſſe, quibus nihil fingi poteſt liberalius honeſtiuſque; juvabit hominem audire doctiſſimum de rebus graviſſimis graviter & diſtincte, cum dignitate ſimul &*

familiariter differentem, quicquid dignum sapiente bonoque, quod & ipse sentit, quod tibi placeat simul & prosit. Oratori Romano *laudem quanta quanta fuerit, minus invidemus; at eundem philosophum rusticantem, & sapientiæ magistrum, non admiramur modo, sed etiam ut amicum quendam & familiarem amamus.*

Hic forsan interpellans inquies, quorsum hoc de M. T. Cicerone *ἐπεισόδιον? horsum nempe, ut occasione quâvis oblatâ non frustra submonerem quæcunque juventuti literarum studiosæ usui fore existimarem; ut scribentibus hoc e penu deprompta aptior uberiorque tum sententiarum tum verborum copia & delectus adesset.* —— *Verum enimvero quidni Ego hâc in parte animo obsequerer meo, & hoc studiorum genus testimonio meo qualicunque commendarem, in quo, per dies aliquot haud frustra versatus, ægritndinum quæ inciderant levationem quandam & solamen liberalissimum reppereram? & fortasse porro tibi ingratus & immemor beneficî viderer, qui* Ciceronem *philosophantem pro meritis non prædicarem, nec aliquid illi de suo rependerem, qui mihi hanc ipsam dicendi materiem & facultatem suppeditavit.*

Video te jam ad finem properare, & quid, inquis, hoc rei est? ὁ δεῖνα περὶ τοῦ δεῖνος? —— *& quid porro de tantilla re tam multa?* —— *Imo vero hoc id ipsum est quod volui: profecto & Scriptoris & Editoris anonymi causa est eadem; nec hujus nec illius gratia ulla aut autoritas* —— *sed nec odium nec invidia; eam, quæ in nomine solo, quæ sentio quàm sit exigua, continetur, commendationem*

mendationem non quærimus —— sed nec in offensiones incurrimus: res ipsa potius pro se loquatur. Interim, quam aliis sæpe præcipio, stili exercitationem nolui ipse defugere; quæ pro re natâ in mentem venerunt cogitationes calamo exaravi; libuit nempe tecum, lector benevole, paucis proludere: at sentio prolusiones nostras in latius excrevisse quàm instituti ratio postulavit, & eas fortasse identidem nimis juveniliter exultantes; facile veniam dabis siquid nimio placendi studio fuerit peccatum. Scriptionum certe exempla in genere diverso rariora exhibentur; scitum est periculo sapere alieno, ita ut siquid laudabile videatur, id ad te transferas, siquid vero secus, ut devites sedulo.

Interea τῳ δειvι *nostro hâc in parte mecum una gratiam habebis, quod aliqua saltem lectione tuâ studioque dignissima indigitavit, cum aliorum quorundam poemata in subsidium citata sic laudaverit, ut suis potiora recognoverit. Et sane nefas foret non & illud etiam accensere nuperum* de immortalitate Animæ *vere* Lucretianum *sive potius* Virgilianum *poema, in quo sententiarum pondus, & dictionis puritas, & vis poetica reperitur tanta, quantam fere in cæteris quibuscunque hujusce ævi poetis frustra quæsieris: illud certe effecit, ut præclarum illum poetam* Anti-Lucretianum *tam ingenio quam dignitate eminentissimum Galliæ minime invideamus.*

Postremo quod ad hæc Μιλετηματα *attinet —— nollem equidem ut tibi legenti placerent perinde ut mihi non ita pridem placuerunt; quia nollem animo accidere tuo ægritudinem*

tudinem illam, quæ potissimum hujusmodi lectionibus delinitur & recreatur: ut tibi placeant tamen valde cupio: quod si fiat, τῷ δεινι nostro, homini certe nec maligno nec illiberali, pro benevolentiâ tuâ favebis, hæc unà mecum vota concipiens, ut illi in posterum morbi contingant non nisi sanabiles, —— non nisi quos ipse stylo describere valeat, —— vel potius, ut omnis deinceps similiter scribendi occasio præcidatur.

ΤΩι ΕΝ ΟΞΟΝΙΩι

ΠΑΝΤΩΝ ΑΝΤΑΞΙΩι ΑΛΛΩΝ

ΑΡΧΙΗΤΡΩι

ΡΙΧΑΡΔΩι ΦΡΕΥΙΝΩι

Ο ΔΕΙΝΑ

Ο ΑΝΩΝΥΜΟΣ

ΤΩι ΠΟΛΥΩΝΥΜΩι

Ευημερειαν και Ευθανασιαν.

ΟΙ μεν Ελληνες επι τον Ασκληπιου ναον φοιταειν ειωθησαν, οἱ τε νοσεοντες, οἱ τε των νοσων απαλλαγεντες· οἱ μεν, ὡς της ιητρικης δεομενοι, οἱ δε, ὡς τῳ θεῳ ευχαριστησοντες· ὡσαυτως και εγω, ὁ αμφοτεροιν γε ἑνεκα επι σε, ω των Ασκληπιαδων πρεσβιστε, πολλακι φοιταειν ειωθως, εν τῳ νυν, τυχῃ συν αγαθῃ, αυθις παρειμι σοι, και των παλαι μεμνημενος συνηδομαι, και χαριστηρια θυω, ανθ᾽ ὡν ευ επαθον χαριν ανταποδιδοναι βουλομενος ὡς καλλιστα.

Ποιην δε ταυτην λεγω; και δη μεγαλην νη Δια σοι οφειλω, ειπερ το νοσηματων θανασιμων ιαθεντα ὑγιαινειν ποθεινοτατον τι χρημα παρ᾽ ανθρωποισι νομιζεται· τοιαυτα ὑπο σου ωφελημενος ευλογιην ταυτην εικοτως ανακηρυττω.

Και τοι γε ου μονον ἡ εκ φιλοφροσυνης ιδιας προαιρεσις ἡμετερη, αλλα και αυτη ἡ του συγγραμματιου ὑποθεσις του σκοπου ουκ εξαμαρτανειν μοι δοκεει, ορθως προς ανδρα τοιονδε φερομενη, τον εν τῃ ιητρικῃ ευδοκιμωτατον, τον τε και αιτιολογεειν ἁμα και θεραπευειν επισταμενον· ορα γουν ὡς εκ του προσηκοντος επι σε προστατην τα ἡμετερα προσαγεται.

Και εγω μεν τουθ᾽, ὁτι καλοις κ᾽ αγαθοις ανδρασιν ἡδιστον ακροαμα νομιζεται, εν τῳ παροντι ἡδεως αν επαδοιην. Αλλα πως ανδρα τοιουτον οντα κατ᾽ αξιαν τις επαινοιτ᾽ αν; ου μην εγωγε ῥητορικως σεμνολογων, αλλ᾽ εργῳ μαλλον αντιχαριζομενος, και αντ᾽ επαινων ευχτηρια προσφερων φιλοφρονεεσθαι. Τοιγαρουν, κατα το Ἱπποκρατειον εκεινο, τον τ᾽ Ασκληπιον, και Ὑγειαν, και Πανακειαν διαμαρτυρομενος επικαλεω, ἁμα δ᾽ επισπενδων ὡδ᾽ ευχομαι· "Ω θεοι αλεξικακοι, διασωζετε ἡμιν τουτονι τον αρχιητρον "ανδρα εις το των καμνοντων κοινωφελες· και ειη αυτῳ απαυρασθαι και βιου και τεχνης δοξαζομενῳ παρα πασιν ανθρωποισιν "εις τον αει χρονον."

Του Δεινος

ΝΟΣΟΥΝΤΟΣ

Και περι των νοσουντων

ΜΕΛΕΤΗΜΑΤΑ.

Προς τον εν ταις μαθηταις παιδα φιλτατον ὁς πυρεταινοντι μοι ὑπηρετων παρεστη.

ΘΩΜΥΛΑ, παιδων πολυ φιλτατ᾽ αλλων,
Δευρο μοι θελγητρα φερων νοσουντι·
Και λυραν, παι, χρυσε, και ουασιν μοι
Τερψιν ιαλλε·
Ειγε πως ψυχης μοι αναξιφορμιγξ
Μουσα κοιμωη δυσανεκτον αλγος·
Αλλα τι χραισμει μελιγηρυς ὑμνος
Ουατι κωφῳ;
Παννυχος παν ἡμαρ ὁλος πυρεττω,
Οστεα φριττει, λελυται δε νευρα,
Χρως πυριπνειει, περι δ᾽ αυ δυσωδης
Εκχειται ἱδρως.

Αυχεο,

Ανιχεο, ψυχη, βραδεως ιȣσαν
Νυκτα, φευ ποιων οδυνων γεμȣσαν,
Οφρα, δυσθυμων και αωρονυκτȣς
Οιοθεν οιος,
Τηκομαι· κοιλῳ δε μοι ωτε βομβῳ
Πυκνα θρυλλειτον· περι δ᾽ αἱμα θερμον
Αλλεται· τις μοι κεφαλαλγεοντι
Λοιγον αμυνοι;
Αλλ᾽ εμῳ μαλλον θεοι εστε παιδι.
Ιλεω, χαιροντα τε Θωμυλαν μοι
Σωζετ᾽, αλλ᾽ αυτῳ, ὁσα μοι φθονειτε,
Τερπν᾽ επιδοσθε.

Δψλ᾽ Μȣνιχ. φθιν. εσχατ.

Ταυτῃ τῃ ἡμερᾳ οἱ παρ ἡμιν Κωλληγιαρχαι, εν τῃ επι τῶ Ριχαρδῳ τῳ Ουιντωνιῳ δικαστῃ ἡττηθεντες δικῃ, οικονδε κατηλθον· ενταυθα ὁ δεινα, ως τοθ᾽ ειχε, πυρεττων, και περι τȣ παθȣς μελετων, μεσονυκτιαις εν ὡραις ταδ᾽ αμετρα μετρα ἐρραψωδησε.

Ω χρυσοπτερυγων, μεγας ȣρανε, δωτερ ονειρων·
Τι τȣτο μοι, τ᾽ ενυπνιοις εφιζανον,
Ειδωλον αμφιβαινει ως γεραστριον;
Ποθεν μολον μοι προς λεχος ηρεμα
Σεμνον προσωπον. τȣτο παριστεται,
Θεοσδοτῳ παμφαινον αιγλῃ,
Αμβροσιην ανα νυκτος ορφνην;

Τις

Τις ȣ̔τος εςι μοι σεϐασμιος Γερων;
Ιεροπρεπες δεμας ποδηνεκει ςολῃ
Λευκοχροῳ ηϑημενος, καδδ' αυ καρῃ
Δεδημενος τιαρᾳ τετραγωνιῳ,
Φρȣδων τε κυκλȣς ομματων τυφλȣμενος,
Αλαω προτεινων χειρε, και βακτηριῳ
Επισφαλη ποδων διευϑυνων βασιν,
Τις ȣ̔τος εςι μοι σεϐασμιος Γερων;
Μελισσοφορϐος ȣ̔τος ες' ὁ ΦΩΞΙΟΣ.
Ω πολλα χαιρε, ποτνι' οικοδεσποτα,
Ως ασμενως ἱρον σεϐομαι καρη!
Αλλ', ω μακαρ, τιφϑ' ὡδ' απο δωματων
Ελϑων Ολυμπȣ νυν τεηνγε
Αμφι Μελισσοπολιν βεϐηκας;
Η παιδας οικτερων επαιτιῳ δικῃ
Υπερϐιως παρ' αξιαν ἡττωμενȣς;
Η ἱνα ὑϐριν ιδῃς Ουιλλεσιοιο ανακτος,
Ος σεο ϑεσμοϑετης πολυ φερτερος ευχεται ειναι,
Ης ὑπερηνορεῃσι παρ' αισαν παντα διωκων;
Ο δ' αυ προσωπῳ σεμνος ειπεν ἡσυχῳ·
" Ω παιδες, οντες μη κακοι, πραως κακα
" Ανεχετ', εφ' ὑμιν τοδε γαρ, ως σοφȣς πρεπει·
" Κακως δε παχειν εξ αναγκης ερχεται.

" Νικ

" Νικᾳ δ' ὁς αὐτῳ μη συνοιδε φαυλος ων·
" Αλωσεται δε πας εφυβριζων κριτης·
" Χρησῳ μεν ουν πειθεσθε μοι δικασπολῳ·
" Θεμις παρεδρος ὑμμι των βουλευματων·
" Ες τελος εξελθουσα Δικη δ' ὑπερ ὑβριος ισχει.

ΠΡΟΣ ΥΓΙΕΙΑΝ.

Μακαρων μακαρτατη θεα,
Ανθρωπινου τερψις βιου,
Υγιεια, πολυν πολυν
Χρονον ηδη σ' επιποθω,
Και τηκομαι ματαιως προσδοκων.
Αλλ' ελθε νυν, ω φιλτατη,
Απ' αλσεως Περσειου
Φερουσ' αμπαυμα νοσουντι·
Ομου δ' εταιρων ελθοι χορος,
Ελθοι δε και φιλοφρων Ἡσυχια,
Και μακρα βιβαν Σθενος,
Γελως τε Φαιδρῳ γαιων ομματι,
Θαλερων τ' ερυθημα γενειων,
Χαριτων τ' επιλαμπετω εαρ.

Μετα

Μετα σε, πρεσβιςα μακαρων,
Το λοιπον ναιοιμι βιε·
Το γαρ ζῆν τι γ' εςιν; ε πνειν,
Αλλ' ὑγιαινειν, και χαιρειν ἁμα.

Το Σχετλιαστικον.

Ιω ἡμαρ! ω ποσημαρ!
Μια νυξ! ποσον το νυκτων!
Αμα νυκτες ἡμεραι τε,
Ανεραςαι ως εμοιγε,
Φθινυθουσιν ισομοιροι.
Αμα φως σκοτος θ' ὁμοιον,
Υπο Πηλιε και Οσσης
Κατακειμαι ἡμιφλεκτος·
Τις απ' οςεων λυθεντων
Αφελοι το δεινον αλγος;
Ο δε τηκεται μοι αιων,
Τα τε νευρ' ανδρα ναρκοι,
Δεμας ολλυται μαρανθεν·
Αμα και φρενες νοσεσι.
Το δε μοι ταραττον ὑπνες,
Πολυ δειμα νυκτιπλαγκτον

Λεχος αμφι καὶ καρηνον
Μελανοπτερον ποταται.
Το κυνων δ' αωρονυκτων
Ολολυζον αμβοαμα
Στυγα πασαν ουασιν μοι
Επαινησεν εμβρεμουσαν.
Αγε, φιλτατ', ει φιλεις με,
Κυνας αιρε τοὐμον αλγος·
Υγιων τε και νοσουντων
Τοδ' ολεθριον μελημα,
Ακαδημικων τ' ονειδος,
Κυνας αἱρε τοὐμον αλγος.

Το Νουθετικον δια παραδειγματος.

Τι παθων ποτ' η τι ῥεξας
Αμεριμνος ἡσυχωμι ;—
Οτε ταυτα μεμψιμοιρος
Ανεμωλεως εβαζον,
Τοτε Κουλεειος ηλθε
Χαριεστατος λυρωδων·
Αμα δ' ειπε μειδιασας.
" Τι ματην σεαυτον αλγεις ;
" Ποτε τις βροτος πεφυκως
" Τις ανευ κακων ποτ' εζη ;

" Σοφος ων το χειρον οιδεν
" Επι βελτιον κατορθυν
" Το δ' όπως τοποις διδαξω.
" Βλεπε τὴν μελωδον ορνιν,
" Ποτ' ελευθερην, τα νυνδε
" Δολιῳ σχεθεισαν οικῳ
" Αμα νιν βλεπων μαθοιο
" Παραδειγμα πρᾳοτητος,
" Παραμυθιαν τ' ανιων.

Carceris impatiens furit indignata volucris
Ignoti circum pellucida mœnia tecti:
Obſtrepit aſſurgens, & roſtro ſævit inermi,
Sauciaque adverſis affligit pectora clathris;
Ungue tenax hæret plauſaſque reverberat alas,
Summa ferit, ferit ima, fugamque per omnia quærit.
Heu nihil iſta juvant! animi tum victa quieſcit;
Et fruitura malis iterat miſerabile carmen,
Multa gemens libertatem ſublataque ruris
Gaudia; dulciſonans querimonia temperat iras:
Servitio ſenſim conſueſcit mitior hoſpes,
Suaviter exhauſtos cantu ſolante labores.

Προς

Προς Εμαυτον.

Ποθεν μοι ποθεν της εὕρω
Αναπαυσιν; ω βεβαιως
Ανεχου το λοιπον αλγων,
Φιλον ἦτορ· ἡ δε μοιρα
Τελεσει θεοιο βουλην.

Cum sexta vice secaretur vena.

Ecquis erit modus? O miserere jacentis, Iesu,
In nostro mors est sanguine, vita tuo.

Το Ευκτικον.

Μετα δακρυων γοωντι
Μετα Πιστεως Δεους τε
Επι σε βλεπων θ' ἐμαυτον
Ικετης, αλιτρος, αυτο —
— καταρατος ἱσαμαι· φευ
Τι ποτ' ειπω; ω Ιησου,
Επι σοι γ' ολως πεποιθα·
Ελεησον, ω Ιησου.

Εις ταυτην την τȣ Πινδαρȣ,

Επαμεροι· τι δε τις; τι δ᾽ ȣτις;

Τι τις εςι; και τι δ᾽ ȣτις;
Οναρ ως σκιας άπαντα·
Αι, εφημερον γενεθλον,
Βροτοι ολλυμεθα ζωντες·
Κενα παντα κ᾽ αβεβαια.
Επι κυμα κυμ᾽ επεισι·
Χρονος οιχεται διαῤῥων·
Έαρ ἠλθε, και παρηλθε·
Δεχεται το γηρας ἡβην·
Βιοτον δ᾽ απροσδοκητος
Θανατος φθανει διειργων.
Οτε δ᾽ ȣρανȣ φαεινη
Θεοθεν κατηλθεν αιγλη,
Τοτε μειλιχος μοι αιων,
Τοτε μοι βιος βιωτος·
Βροτοι οντες ȣδεν εσμεν
Θεος ἱλεως μοι ειη
Επαρωγος αθενȣντι!

Πρ☉ τυς Ιατρυς.

Δοτε μοι πιειν, Ιατροι,
Δοτε μοι το φιλτρον ὑπνε·
Βαθυν ὑπνον ὡς καθευδω
Απαθης δεμας φρενας τε.
Αφετ' ὡδε κειμενον με,
Κεφαλαλγεες μεριμναι.
Θελω ἡσυχως καθευδειν.
Το γαρ ἡδονων κρατιστον
Απωλωλεν ως εμοιγε·
Μονον ἡδυ μοι το λοιπον
Το λεληθοτως διαιταν.

Ω τ' απαθες και αναισθητον! μακαριζομεν ὑμας,
Νηπιοι, οἱ κεδνη παρα μητερι νηδυμον ὑπνον
Ευδοντες κνυζατε, τεταρπομενοι φιλον ἡτορ·
Αλλα μοι αυτοματη φερεται φρην αλλοπροσαλλος,
Φροντισι κυμαινεσα, και ομματος ὑπνον απειργει·
Ουδ' αρα θαλπωρη κακε εσσεται· αλλα συγ' ιθι
Ιλεος, ω ψυχων ιατρε, και αλγος αμυναι·

Παρωδικον
Περι Σιτησιας.

Παντα Γρυηλ, και παντα Σαγω, και παντα Παναδω.

Δευτεραι φροντιδες σοφωτεραι.

Sept. 13.
Nunc melius dormire puto quam ſcribere verſus.

Τη φιλτατη γυναικων Φ. . Β. . ως αυτικα αποθανεμενη ο ανηρ παρατας και επoδυρομενος μελετηματα τοιαδε εμελετησε.

Οιμοι! τι ποτ' ειποιμ' αν ὁ δυσμορος; ερρει τα πραγματα· ηδη γαρ μοι το Φαννιδιον, φιλτατον καρα, αποθνησκει. Παραλυσις, ἡν καλεσιν, αφνιδιως επιπεσεσα πληγη ἁπλως θανατηφορῳ, καθαπερ ερανοθεν, κατεπληξε ψυκτηριῳ βελει διαμπερως μεσην διατμησασα, και παντελως εξενευρισεν. — Οιμοι τε απροσδοκητε παθες! Καγω μεν πεμπταιος ηδη παρισταμαι, κειμενην παραφυλαττων και θεραπευων, ἑκαστων αυτοπτης, αυταγγελος, και δη τη προνοια τα των συμφορων δυσχερεστατα πορρω ηδη προκαταλαβων. Φευ! Φευ! ιδε τετοι το νεκροστασιν, ως ἁπλως ανευρον, το σωματιδιον διαλελυμενον — ψυχην αψυχον — πνεεσαν, αλλ' ὁμως αποθανεμενην. Τοιαυτ' εισορων εγω πως εκ αχθοιμην αν και το οικειον παθος, αμα και το κοινον τε ανθρωπινε γενες αποδυρομενος; ενιοτε δε ενθυμεμενος το Πινδαρικον τετο γε

Επαμεροι· τι δε τις; τι δ' ετις;
Σκιας οναρ ανθρωποι. . .

Ενιοτε δε και το χορικον Σοφοκλειον τετο γε

Ω γενεαι βροτων, ὡς ὑμας ισα και το μηδεν
Ζωσας εναριθμω;

Και μην επι σοι, ω Φαννιδιον, πως εκ ανιωμην αν ὡς απαλωλαία, μεμνημενος των βεβιωμενων, και ἑκαστα, ἁπερ χαριεστατα ποτε σοι ειην, ματαιως ηδη επιποθων; Φευ! Φευ! πα κεν ωχετο σοι

το

το Φαιδρον και το Φιλομειδες των ομματων; — το ελευθεριον και το γενναιον των τροπων; — το Φιλοκαλον και το Φιλοτιμον τȣ σχηματος; — το ἁβρον της αγχινοιας — το γλαφυρον της ευεπειας και το ψυχαγωγικον; — και ὁλως τα απορρητα των χαριτων μυρια ὁσα; —

Αλλα σε ȣδεν ȣδαμως αισθανομενην ȣδεν συνειδυιαν προσφωνω, θεραπευω, επευχομαι· Και τοι γε ὁπως τας Φρενας διακειμαι ȣκ εχω σαφως ειπειν· καινον δηλαδη παθημα πεπονθεναι δοκω· και γαρ αυτικα εγω, ὁ χαλκεντερος ȣτος, ὑπερφυως μαλακιζομαι, επι θεαματι τȣτῳ τῳ ελεεινοτατῳ διατηκομενος γυναικειως πως δακρυχεω, και την μεγαλοψυχιαν ατεχνως διαλυομαι· και, ὡς επος ειπειν, αυτος συνειδεναι μοι δοκω ωσει μερος συναποθνησκων, κ' αυτος ἡμιπληκτος, ἁμα και παραλελυμενος, ατέ της ὁμοπλευρȣ Φιλτατης απεστερημενος. Αλλ' εν τȣτῳ γε ευδαιμονιζω σε της απαθιας και της αναισθησιας, επει εγωγε εν τῳ παροντι την ψυχην διακειμαι ὡς αηδεστατα, Φροντιδων κερτομιων βελει ὡς διανταιῳ τετρωμενος.

Τηδε τη ἡμερᾳ, ὡς Φασιν, οἱ εν τῳ Λωνδινῳ Ιατροι, ὡς εικος, τȣ ἁγιωτατȣ Λȣκα μεμνημενοι, εορτην πανηγυρικην εορταζȣσι· και παρ' αυτοις καλα το νομιζομενον Ῥητωρ τις αναστας την ιατρικην επισεμνυνων εγκωμιαζει· —— Αλλα σε, ω Φιλτατη, ταυτ' ȣδεν ωφελει· — αγετ' Ιατροι, αγετ' αλεξικακοι, ει ποτιμον τι, — ειπȣ και επιπαστον τι ωφελοιη· παν ὁτιȣν μηχανατε· αλλ' ȣ των δ' οφελος ȣδεν· και γαρ πασα ἡ Ιατρικη ȣδεν εξεργαζεται αλλο, η ψευδεις ελπιδας, ὑπνον αϋπνον, και βιον αβιωτον· συ δ' αυ μεταξυ κοιμωμενη αποθνησκεις· Της γαρ τεχνης κρεισσων ἡ μοιρα· επει μεν ȣν τα ανθρωπινα ελλειπει παντα, ἱλεως ση εσω ὁ των ψυχων Πανιατρος.

Καγω

Καγω μεν ταυτ' εισορων σωφρονιζομαι ὡς αληθεστατα, και ουκ εικη φιλοσοφειν μοι δοκω περι του θανατου μελετων· το γαρ τελος σκοπειν ανδρος εστι φρονιμου και φιλοσοφου, αλλως τε και μαλα γε χριστιανου οντος, ουτω τον βιον διαβιουν, ὡστε καθ' ἡμεραν αποθνησκειν. Το λοιπον ες αει συνοιδα μοι θνητος ων, αλλα και αθανατος, τον εις το μετεπειτα αιωνα βιωσομενος αενναον και, προς τα θεια αποβλεπων, ουδ' επι τοις δυσχερεσταλοις ουδεν δυσχεραινω, αλλ' ὡδε πως ενθυμουμαι, ω Πατερ, ὁ εν τοις ουρανοις, γενεσθητω το θελημα σου! Τοιγαρουν περι των παροντων ουτω την γνωμην διατιθεμαι ὡς πεπεισμενος παντα ποτε επι το βελτιον συννοισειν· και μην ανθρωποπαθως επι τῃ συμφορᾳ εικοτως αν ὀδυρομαι "και λυπουμαι σφοδρα· αλλ' ου καθως οἱ μη εχοντες ελπιδα· "των γαρ εν Χριστῳ κεκοιμημενων αναστασιν πιστευω και προσ-"δοκω."

v. Επιταφιον επιγραμμα in æde D. Petri Westmonast. juxta portam Australem.

Ad *S. W.*

Febricantis Epistola.

TU monitor veri præsagus: — at O Ego lævus!
Heu scio nunc diræ febris adesse vices!
Ilicet hesternas gressu fallente per umbras
Perculit obrepens frigus inerme caput.

Ah,

Ah, male credula mens, prælibans omne futurum,
  Da promissa mihi gaudia, pelle metus!
Nempe magis sano lux crastina reddet amicos!
  Cras ego dum vivam, nunc periisse juvat.
O Cras! quando ego te aspiciam? quandoque dolores
  Innocui liceat fallere fraude joci?
Alloquiisque frui reverendo de grege fratrum,
  Multa super Decimis quærere, multa queri?
— Hei mihi! cur gelidus coit ad præcordia sanguis?
  Quis luxata recens concutit ossa pavor?
Labra tremunt, rigidamque cutem novus occupat horror;
  Ætna mihi flammas, & parit Ætna gelu;
Horreo et accendor; requiem non lectulus affert,
  Sed querulus tristes increpat usque moras.
O latus! ô creber mihi spiritus ilia ducens!
  Proh! cerebri qualis sævit in arce furor?
Quæ mihi jam vigiles perturbant somnia sensus?
  Monstra parit Febris me mihi surripiens.
Mille meum Lethi corpus violabile telis
  Sentio: — at ô medicam quis mihi præstat opem!
Tu, modo jejunæ nutrix animosa salutis,
  Tu, Bucklanda, vale, jam placitura minus.

O fruſtra laudata ſalubris gratia campi!
  Heu ſpirare mihi ſola venena datur!
O tectum fragili congeſtum ſtramine, morbi
  Te, niſi pauperiem, rebar habere nihil.
O fruſtra dilecte mihi, decus hortule veris,
  Nulla viret Domini quæ levet herba malum?
Ah magis atque magis dolor ingruit! — at tibi Muſa
  Haud ſterili voto dicit, Amice, Vale.

Sic poſitum affati diſcedite Corpus.

NESCIO qua præter ſolitum formidine lethi
Horreſcit refugitque animus; tua ſenſibus imis
Sic hæret, miſerande puer, morientis imago.
  Quæ te cunque premunt propiora pericula, trado
Ipſe mihi timido ſpectator triſtis ocello.
Me pia fraterni ſpes irrita tangit amoris,
Officioſaque ſedulitas & inanis opella
Sollicitæ nutricis, et ipſa ſilentia terrent.
Ah tecum diræ poſuere cubilia Curæ,
Et gelidus Pavor, et demiſſo vertice Languor,

Et queruli Gemitus, et plurima Mortis imago!
  Quo Risus tener, et, quæ plurima lusit, ocelli
Gratia dulce micans, quo pulchris Suada labellis
Et lepidi fugere sales? et quicquid amores
Inspirans animum varia dulcedine mulsit?
  O tristes experte vices! nunc pallidus horror
Obruit extinctum dejecto lumine vultum:
Nunc vox in mediis conatibus ægra fatiscit,
Aversumque caput lassa cervice recumbit;
Nunc pressum male pectus iniquo pondere contra
Subsilit obluctans, dum spissus et ilia ducens
Singultim trepido prorumpit anhelitus ore.
Interea refugus coit ad præcordia sanguis,
Laxaque inæquali trepidans arteria pulsu
Instantis fati prænuntia denotat ictum.
  O quis labenti præsens succurrere vitæ
Præstet opem? frustra circum famulantur Amici,
Triste ministerium! atque animis atque arte magistra
Inclytus HIPPOCRATES studio se jactat inani
Omnia prospiciens, seu docto pollice venam
Explorat, gelidisve infundit pocula labris.
Ah te fata trahunt, atque immedicabile vulnus
Intus agens peredit lethali tabe medullas!

Nec pietas, nec vota juvant, artesque medendi.
 Sic, ubi languidulo Vestalis flamma labascit
Lumine, et extremum vibrat moritura calorem,
Virgo, fusa super tepidamque amplexa favillam,
Ore fovet, flammamque invitat anhela sequacem,
Et languenti animos inspirat; at illa vacillans
Incertum quatit ægra jubar, labefactaque sensim
Deficit, et tenues evanida cedit in auras.

Ad *J. H.*

Febricitantis Epistola.

ECquid, Amice, novi si quæras:—Ille Ego fortis,
 Siqua fides, pereo. Morbi quæ causa modusque
Hoc tibi Pharmacopola, aut grandiloquus *Vice-Princeps*,
(Ille viæ comes assiduus sociusque laborum)
Interpres vehemens digito inculcante docebit:
Quin Ego pauca tamen calamo currente notabo.
 Nescio quid tristis dudum præsaga mali mens
Urbis inurbanæ fumosa relinquere tecta

Jusserat;

Jusserat; at ecce mihi mille, negotia mille
Ingratas peperere moras. Tum denique posco
Æger equum, cupide discedens, haud sine votis,
O quis me placida Rhedycinæ sistat in umbra
Ultra Urbis populique vias, strepitumque rotarum?
Sed reditum mihi fata negant; heu quintus ab urbe
Digresso mihi claudit iter lapis imperfectum,
Hospitaque effoetum recipit Putneia cadaver.
Jam lateri dolor et capiti stupor insidet altus,
Et tractim membris obrepit frigidus horror,
Atque oculos hebetat dubiæ caliginis umbra;
Mox, ubi discussæ tenebræ & lux reddita menti est,
Proh quantus cum luce maligna pertigit artus
Febrilis calor, & liquefacta per ossa cucurrit!
Jam dubio fervens arteria subsilit æstu:
Oh furiale malum dominatur in arce cerebri!
En Medicaster adest cum Carnificum comitatu,
Præsago mire sapiens dignoscere tactu
Abdita morborum, sapiens non visa videre;
Explorante sagax oculo vultuque minaci,
Et quassans caput "edisti nimis atque bibisti:
"Tempus adire tibi medio sub sole cubile.
"Eia age, quis mecum incisis emittere venis

"Apparat

"Apparat ardentem turbato flumine peſtem?
"Pocula quis miſcet reſtinguens ignibus ignes,
"Eliciens liquidum tenui ſudore venenum?
Captivas do ſponte manus, αεκοντι γε θυμῳ.
O quam tarda fluunt ingrataque tædia lecti,
Dum mihi neſcio quæ terrorum monſtra reſurgunt,
Atque oculis animoque negant inimica quietem!
Jam pavidas tinnire aures, et tempora circum
Triſtia turbato geminari murmura pulſu.
Illuc irrequietus et illuc volvor; at idem
Hæret ubique dolor: vitiatas febris adurit
Igne malo fauces —O quis pomacea vina
Afferet, et largo ſitientem proluet hauſtu!
Interea vigiles ſenſus volitantibus umbris
Somnia deludunt; variâ ſub imagine Morpheus
Laſcivit gravidi ſtupidum per inane cerebri,
Multaque per pictum tranſcurrit pompa theatrum.
Tu quoque, noſtrorum ſermonum candide judex,
Tu quoque nugantis aderas pars parva catervæ.
—Hei mihi! tanquam hæc ſint noſtri medicina doloris!
Vive, vale, tibi ſincera pietate ſalutem,
Quam mihi fata negant, ægrotus et integer opto.

Non

Non eſt vivere ſed valere vita.

Ægrotantis deſideria

Ad SALUTEM.

DULCE ſolamen pereuntis ævi,
O SALUS, vultu roſeo decora,
Blandulum ridens viridis perenni
Flore juventæ,
Vita vitalis mea, Te fugacem
Anxius quæro; ſine Te ſuperſtes
Hei! mei pars parva moror, cadaver
Flebile ſpirans,
Heu! mihi diſpar Ego diſcolorque.
Torpet effœto mihi ſenſus omnis,
Non adhuc ſervant generoſa notum
Vina ſaporem:
Ah! viret fruſtra, mihi ſuave fruſtra
Hortulus ſpirat: FARINELLUS ipſe
Diſſonum ſtridens male delicatam
Vulnerat aurem;

Debilis

Debilis furtim ſenii malignum
Frigus obrepit, melioris ævi
Flos abit tecum; ſubeunt tenebræ, et
Mortis imago.

O redi, vitæ geniale lumen!
Leniens mordacis acuta morbi,
Ος κὰτασμυχων καὶ ες οστεον με
Αχρις ιαπτει!

Redde camporum per aperta curſus
Liberos, hauſtumque ſalubris auræ:
Redde ſubjectum Thameſin volante
Stringere remo.

Te latus quaſſans Jocus, et Cupido
Nequiter ludens, Chariteſque mille,
Mille te circum ſpatiantur aureis
Gaudia pennis:

Te juvat Clamor, validuſque Luſus,
Te vigor plantæ meditans choream, et
Acer obliquum jaculantis ictum
Fulgor ocelli:

Te manus plauſu reſonans ſecundo,
Te Quies duro reſupina lecto, et

Læta

Læta Paupertas, humerisque densum
Robur agreste:
Spirat æterni tibi veris aura;
Lætius soles tibi, Diva, fulgent;
Pulchra suffuso tibi Virgo ridet
Pulchrior ore.
Erigit lassum caput Ægritudo;
Ridet invito Dolor ipse vultu;
En tibi exultat Senium renato
Fortius ævo!
Vita vitalis mea, te fugacem
Invidus multa prece, te querelis
Persequor, quæcunque latens tenes se-
creta locorum;
Seu colis fontes liquidi calentes
Sulphuris flammâ, Dryadumvè gaudes
Dicier Regina PERUVIANÆ
Incola sylvæ;
Sive CHELSEIO residens in horto
Ebibis succos animasque florum,
Sive stillantem Chymico liquorem
Decoquis igne, —

Te per Herbarum ſequar Igniumque
Devios tractus. Mihi me redona
Soſpitem, gaudere jubens fruique,
Quod datur, ævo.
Dona Fortunæ minus invidenda
Auferat Dives, — ſimul et podagram,
Splendide infelix: Ego Te, dolorum
Suave levamen,
Te voluptatum generoſa Nutrix,
Pauperem pauper ſine dote quæro:
O SALUS, adſis et inempta ſemper
Rite vocanti!

Conjugi morituræ aſſiſtens ὁ Δεινα animi ægritudinem in hæc carmina effudit. v. p. 118.

SUAVE rubens nitido mihi Perſica malus in horto,
Multa fronde virens et multo floris honore
Læta, diu viguit: laudat Vertumnus amatque
Dulce decus, Pomona, tuum, et ſpe gaudet inani
Promiſſos numerans fœtus, ſobolemque futuram:

Ecce

Ecce repentino penetrabilis ingruit ictu
Eurus, Tartareoque afflavit membra veneno:
Ilicet omnis abit laudatæ gratia formæ!
Infelix arbos, vitæque oblita prioris,
Languida jam moriensque, caducos plorat honores,
Arentes fibras semiustaque frigore membra.
Sic Te dulce meum decus, O FRANCESCULA, sic Te
De cœlo tactam rapit inclementia fati:
Te præmaturæ frigus lethale senectæ
Invadit, mediamque sinistro dividit ictu.
* Ah vegetos fœtus rediviva resuscitat æstas;

---

v. *Job*. cap. 14. ———

* Αι! αι! ται μαλαχαι μεν, επαν κατα καπον ολωνται,
Η τα χλωρα σελινα, το τ' ευθαλες ουλον ανηθον,
Υστερον αυ ζωοντι, και εις ετος αλλο φυοντι·
Αμμες δ', οἱ μεγαλοι και καρτεροι η σοφοι ανδρες,
Οπποτε πρωτα θανωμες, ανακοοι εν χθονι κοιλᾳ
Ευδομες ευ μαλα μακρον ατερμονα νηγρετον ὕπνον·
— Και συ μεν εν σιγᾳ πεπυκασμενος εσσεαι εν γᾳ —

E *Mosch*. epitaph. *Bionis*.

Sententiam hanc elegantissime illustravit Cl. *Jortinus* Lus. poet.

Hei mihi! lege ratâ sol occidit, atque resurgit,
Lunaque mutatæ reparat dispendia formæ:
Astraque, purpurei telis extincta diei,
Rursus nocte vigent: humiles telluris alumni,
Graminis herba virens & florum picta propago,
Quos crudelis hyems letali tabe peredit,

Cum

Atque manu medicâ ſucciſa repullulat arbos,
Miratura novas frondes ſeramque ſenectam:
At Te ſemianimem mihi nulla reſuſcitat æſtas,
Inſpirans vegetum labefacta per oſſa calorem!
Eheu! quam luteus macilento pallor in ore
Flaveſcit, dubioque natant tibi lumina ſomno!
Illa olim laſciva, & multi conſcia riſus,
Hei mihi! in æternam clauduntur lumina noctem!
O ubi vivida vis, & diæ mentis acumen,
Ingenuuſque lepor, χαριτων μια, tota merum ſal!
Illa arguta, faceta, volubilis ore rotundo,
Lingua repentino torpet conſtricta veterno,
Quam ſibi diſſimilis? balbæque infantia vocis
Effœti prodit deliria vana cerebri.
En oppreſſa jacet divinæ particula auræ,
Nervorumque miniſteriis orbata fatiſcit:
Vis agit interea miros Phantaſtica luſus,

Cùm Zephyri vox blanda vocat, rediitque ſereni
Temperies anni, fæcundo è ceſpite ſurgunt.
Nos, Domini rerum, nos magna & pulchra minati,
Cum brevè ver vitæ robuſtaque tranſiit ætas,
Deficimus; nec nos ordo revolubilis auras
Reddit in æthereas, tumuli neque clauſtra reſolvit.

Ludibrium

Ludibrium ventorum, excuſſo cymba magiſtro,
Fluctuat, et varia ſectatur imagine nugas.
 Jam primo, FRANCESCA, tibi ſtupor inſidet altus;
Heu conſanguineus leti ſtupor omnia tractim
Obrepens hebetat gelido ſenſoria tactu.
Agnoſco lentæ necis omina conſcius auſpex,
Præcipienſque animo longe ventura peregi.
— Heu miſeranda jaces, exangui mole cadaver
Flebiliter ſpirans! O amans, O amabilis Uxor,
Æternum, FRANCESCA, vale! ——
 Quod ſupereſt, fugientem animam mihi velle videbar
Fidâ mente ſequi noctis per opaca profundæ,
Et procul ignoti metuenda ſilentia mundi.
Sed mihi neſcio quæ prærupta vorago ſequenti
Obſiſtit, circum caliginis obruit horror
Sollicito vanas agitantem pectore curas.

—— αλλ᾽ ατεχνως ατοπον τι μοι παθος παρην και τις αηθης κρασις, απο της ἡδονης συγκεκραμενη ὁμου και της λυπης, ενθυμουμενῳ ὁτι αυτικα εκεινος εμελλε τελευταν· και παντες οἱ παροντες σχεδον τι τουτῳ διεκειμεθα, ποτε μεν γελωντες, ενιοτε δε δακρυοντες.

Plat. Phæd.

To a Dying Friend.

GOD's will be done! yet, gentle friend, forgive
A foolish tenderness which bids me grieve,
O well prepar'd to die! O fitter still to live!
I fain wou'd come to take my last farewell:
But can I speak th' anxieties I feel?
What a dread point! — it sets my thoughts at strife,
This pause 'twixt mortal and immortal life:
An *Isthmus* 'twixt the known and unknown seas;
Where the two worlds at once thy soul surveys,
The streights of mortal life behind — before —
The ocean of eternity, which knows no shore.

Teach

Teach me to live and die; like thee ſerene
And unappall'd to view th' amazing ſcene,
With thee on verge of life, thy *Piſgah*, ſtand
At nearer diſtance from the promis'd land:
Look down with ſcorn upon this earthly Ball:
Where now is all, which good or great we call?
All *all is vanity*, *vexation all!*
Our wiſdom folly, and our pleaſure pain:
Thy ſweeteſt Muſick too, my friend, is vain.
I hear the Royal Preacher, and with ſhame
Reflect on what I do, and what I am.
More happy Thou in th' evening of thy day,
Refin'd by ſickneſs, ſtrengthen'd by decay.
Death is become familiar to thy ſight:
Its horrors vaniſh at the dawn of light.
A Chriſtian's life is daily thus to die:
This the ſoul's triumph o'er mortality.

Who then ſhou'd grieve? yet grieve I muſt, as man:
David bewail'd the fall of *Jonathan*.
A ſorrowful complacency it is
To count what once we lov'd, what now we miſs.
I'll ſooth my grief, and write thy Epitaph: —
O may'ſt thou read it ſome years hence — and laugh!

Enjoy

Enjoy th' inſtructive praiſe: and think the man,
Who died ſo honour'd, ſhou'd not live in vain.
'Tis ſomething like ſelf-love to praiſe a friend;
Thus in thy merit I my own commend.
Thy Youth at once fair fruit and bloſſoms bore,
Much in poſſeſſion, in expectance more;
Our *Oxford* joy'd to ſee ſuch goodneſs thrive.
O for her ſake may thy example live!
A blameleſs life with many a virtue crown'd,
But chiefly that, which all the reſt diſown'd:
Candid, ſincere, and gay without offence,
With old man's Wiſdom, the child's Innocence,
True Piety, which ſham'd the Methodiſt's pretence.
Be this thy praiſe: I tell thee what thou art:
Thus I ſpeak comfort to thy penſive heart.
Can'ſt thou the view of thy paſt life enjoy?
Then haſt thou liv'd a good old age, my Boy.
Then fearleſs wait the ſummons of thy Lord:
O faithful ſervant, great is thy reward!

Χαιρε μοι, ω Πατροκλε, και ειν αϊδαο δομοισι·
Ου τευ εγω ζωοντος αχηδης, ουδε θανοντος.

To a Friend at *Bath*.

To Health.

LIFE of this mortal life, all-chearing Health,
Thou ſpring eternal through the wintry year,
Thou ſunſhine through this little world of Man:
Or hear'ſt thou rather, jolly Mountain-Nymph,
Daughter of Temperance and Fortitude,
With roſy-tinctur'd cheek and ſparkling eye,
Immortal youth and never-fading bloom?
Sole friend of poverty, unbrib'd by wealth,
Myſterious Gueſt! when preſent, ſcarce perceiv'd;
When loſt, moſt valued: then in vain recall'd
With ſacrifice of many a Prayer, and Fee:
Hither O come with vig'rous graceful ſtep,
Lead up the merry dance, and with thee bring
The Queen of Loves and all her ſportive Train,
The gay Deſire, which brightens *Hebe*'s eye,
The ſanguine joy-anticipating Hope,

The gentle Smile which ſmooths the brow of Care,
The rapt'rous Song, and laugh-provoking Jeſt,
And all the pretty wiles of heart-dilating Mirth.

Where is thy reſidence, coy fugitive,
O long in vain with weary ſearch explor'd
Through every element, in every clime?
Or where *Montpelier* calls thee forth to baſk
In warmer ſuns, and breathe a purer air?
Or where thou ſitteſt hid from vulgar ſight,
Enwrapt in common matter, groſs diſguiſe,
Till gentle torture of th' Alchymick fire
Leaves the dull maſs behind, and bids thee riſe
Spirit refin'd, elab'rate quinteſſence:

Or chooſeſt thou the vegetable world
Of Plants and Herbs, where *Galen* led the way;
Where er'ſt the wily ſons of *Loyola*
Found thee enſhrined in *Peruvian* groves,
Supreme of *Dryads*?

Or rather, where through ſubterraneous ways
In heat-engendring conflict wondrous ſtreams
Smoke from the boiling Fount, where thou enthron'd,
Sulphureous *Naid*, in the liquid heat
Breatheſt around vitality and joy.

Here

Here in thy temple of *Thermopolis*,
Amidst the trophies of mortality,
Receive my votive tablet fair-inscrib'd,
This for Francesca *to lifegiving Health.*
O, not in vain invok'd, if now thy sp'rit,
Through the warm fluid vehicle transfus'd,
Can reinvigorate the nerve-strung frame;
If the great humble mind and generous hand,
Secret and silent as nocturnal dew,
Distilling fatness on the far-spent soil,
If modest worth e'er merited regard, —
Preserve my friend; restore him to himself;
Raise the dejected head, and bid him smile;
And say, in all magnificence of glee,
Methinks I'm *handsome, and I've liv'd to day.*
Preserve that voice, which best can speak thy worth,
Or soothing pain suspend the sick'ning hour; —
That voice, which, when the dedicated bowl
Pours the libation to preserving *Jove*,
Shall animate our mirth. Thrice welcome Guest,
Mix thou his draught, allume the rosy cheek,
Swell the bold note, and with applause enjoy
The well sung praise, and love thyself in Him.

Ψυχης Ιατρειον.

INſtructive Pain! thou med'cine of the ſoul,
Kind cruel monitor! I hear thy voice,
Perſuaſive terrors! — Now the Prodigal
Repentant homeward to himſelf returns;
I recollect my diſſipated thoughts,
And feel my mortal and immortal Being.
O ſanguine Health, mother of Jollity,
Thou flatt'ring ſunſhine of our cloudy days,
Gilding the face of Care, miſled by Thee
How have I ſtray'd along the flowry paths
Of pleaſing Folly, in amuſements vain
Bewilder'd, and excentrick to myſelf?
Preſumptuous Health, time-waſting Prodigal,
Bold menacer, bankrupt in promiſes,
Thou traitor to thyſelf, ſelf-murtherer,
Thou *Ulyſſean* ſwine intoxicate
With the *Circean* cup of brutal joy!
— And is this Happineſs? — 'tis madneſs all;

Folly

Folly thy wit, thy pleaſure vanity,
Thy mirth vexation. — See with ſure ſlow pace
A Magdalene, with ſelf-condemning look,
And ſcourge of chaſtiſement, comes Penitence,
Handmaid of wiſdom, hight *Sophroſyne*;
Sage Miſtreſs, who, recluſe from vulgar ken,
Shuns noiſe and ſport, and in pure intellect
Surveys th' unbodied forms of True and Good,
And in juſt balance weighs the moral world.

Thee, Royal Preacher, her degenerate ſon,
She, plucking by the ear, from moral death
Reclaim'd, and many a golden leſſon taught;
Taught thee to know thyſelf, to know the world,
Know *all is vanity, vexation all.*

O fav'rite child of Nature, Fortune, Grace,
Let *Sheba*'s Queen admire thy regal pomp,
And Fame extoll thy philoſophick wit;
But let me praiſe thy heav'n-enlighten'd mind
In the contempt of Greatneſs truly great:
O not in all thy glory ſo rever'd,
As in this ſolemn penitential ſtate,
This triumph of thy reaſon over ſenſe,
O *Solomon*, now wiſeſt of the wiſe!

Dear-

Dear-bought experience ſpoke th' important truth,
Which now * afflictive Pain in ſick'ning hour

---

* The following verſes are taken out of Sir J. *Davie's* poem on the Immortality of the Soul, written in 1592, dedicated to Q. ELIZABETH.

Yet if Affliction once her wars begin,
And threat the feebler ſenſe with ſword and fire,
The Mind contracts herſelf, and ſhrinketh in,
And to herſelf ſhe gladly doth retire.
As Spiders touch'd ſeek the Webs inmoſt part:
As Bees in ſtorms back to their hives return:
As blood in danger gathers to the heart:
As men ſeek towns when foes the country burn.
If aught can teach us aught, Affliction's looks,
Making us pry into ourſelves ſo near,
Teach us to know ourſelves beyond all books,
Or all the learned ſchools that ever were.
This Miſtreſs lately pluck'd me by the Ear,
And many a golden leſſon hath me taught:
Hath made my Senſes quick, and Reaſon clear,
Reform'd my Will, and rectified my Thought.
So do the ſtorms and thunders purge the air:
So working ſeas ſettle and purge the wine:
So lopp'd and pruned trees reflouriſh fair;
So doth the fire the droſſy gold refine.
Neither *Minerva*, nor the learned Muſe,
Nor rules of art, nor precepts of the Wiſe,
Cou'd in my brain thoſe beams of ſkill infuſe,
As but the glance of this Dame's angry eyes.
She within liſts my ranging mind has brought,
That now beyond myſelf I will not go:
Myſelf am center of my circling thought,
Only myſelf I ſtudy, learn and know.
I know my Body of ſo frail a kind,
As force without, fevers within may kill:

I know

Afresh inculcates on th' awaken'd mind,
And bids me feel conviction; and with thee,
O Royal Preacher, search for truths divine,
And Proverbs in example realiz'd:
Look down on human life, a motly scene,
Solemn impertinence, a waking dream,
And all our cares, all, but Religion, vain!

O may that sp'rit correct my wandring sense,
Reform the Brute and reinstate the Man,
In all the dignity of intellect,
And teach me wisdom! to my reason-eye,
As in prismatick glass, distinctly shew
The pure unblended forms of Good and Ill,
Stript of the gay confusion which deludes
Th' unwary sight. Teach me to look on life

I know the heavenly temper of my Mind:
But 'tis corrupted both in wit and will.
I know my Soul has power to know all things,
Yet is she blind and ignorant in all:
I know I'm one of Nature's little kings,
Yet to the least and vilest things am thrall:
I know my life's a pain, and but a span:
I know my sense is mock'd in every thing;
And to conclude, I know myself a Man,
Which is a vain, and yet a wretched thing.

With

With a true Chriſtian philoſophick view;
With ſhame and wonder mark the vain purſuits,
The devious hurry of the toilſome chace,
Which ſelf-deceiving people Buſineſs call,
Strange irony! Think, O immortal man,
Pilgrim on earth, and denizon of heaven,
What is the buſineſs of this mortal life;
'Tis for eternity. — Dread pleaſing hope,
Awful anxiety poſſeſs thy ſoul,
And make thee ſerious! —Hence then, trifling cares,
And thou, my fair deluder, *Phantaſy*,
Air-fed *Chamæleon*, colour-changing monſter,
I'll mock thee in my turn: vain *Phantaſy*,
Hence thou gay Folly to ſome female brain,
There flutt'ring triumph in thy native ſeat,
Sing in the ear, or ogle in the eye,
Plait the *French* head, and form the various dreſs,
Bid each diſtorted feature look a charm,
Create a *Venus* with her roguiſh Boy,
Or trip it o'er enchanted Fairy-ground,
Fruitful of wonders, ſadly pleaſing woes,
Diſtreſſed Damſels, and advent'rous Knights.

Thou

Thou idly buſied curious Butterfly,
Coquetting viſiter, with wanton choice
Roving from flower to flower, (O fruitleſs ſearch
To view the plant, yet leave th' untaſted ſweets!)
What joy to flutter in the midday ſun,
Proud of new livery and admiring eyes?
What triumph to contemn the buſy Bee,
Homebred, plebeian, trading animal?
But ſee the lowering ſky and rainy cloud!
Alas! where's now thy ſhortliv'd glory flown?
Thy life, the ſunſhine of a ſummer's hour!
Contemptible, unpitied in decay,
By birth a maggot, and in death a moth:
Candle-light gueſt: ſome worn-out Beauty's ſhade,
That in th' extreme of life with trembling wing
Still hovers round the bright-aſcending taper,
Coquetting, ſtill purſuing as ſhe flies,
And in th' embraces of her flame expires.

Such are the pleaſures of Imagination!
The ſport of Fancy! while Reflexion ſleeps,
And the fond mind in brutal ſenſe is loſt,
Forgetful of itſelf, and life's true end;
Lull'd into pleaſing ruin by the voice,

The Siren voice of Pleaſure, Fairy-Queen,
Enchantreſs of the world: who holds her Court
In Town, and Country, Theaters, and Groves,
Vaux-hall, and Ranelagh; where merry fools
Frolick and laugh, unconſcious of their fate.

O rather come, rigid *Sophroſyne*,
Miſtreſs of penitential diſcipline,
With frowning aſpect, and reflected eye,
Come reinvigorate the mental powers;
And ſpeak thy leſſon to my purged ear,
A leſſon, ſweeter than the Siren's ſong;
Refine my thoughts and lift the ſoul to heaven;
O ſhew me to myſelf, ſhew what is life,
A wiſe man's life — 'tis ſtudying how to die.

Conjugi desideratissimæ monumentum Iambis hisce inscriptum posuit ——

RELICTUS Ille, nec superstes integer,
Necessitudinis memor suavissimæ,
Nexûsque in ipsâ morte non solubilis,
Pietatis hoc, Doloris hoc tenerrimi,
Mortalitatis atque Virtutum simul
Μνημειον exhibet perenne posteris.
Cognata quisquis damna tecum senseris
Te, Christiane Lector, in partes vocat
Socium doloris, et spei testem piæ.
Huc ad sepulchri limen excubans vocat,
Addictus huic inemori spectaculo,
Curæ levamen curâ in ipsâ quæritans;
Et usque charam Conjugem desiderans
Vitalis ævi raptą plorat gaudia;
Sequi paratus Illa qua monstrat viam,
Per atra Mortis, perque Cœli lucida,
Ducente Christo: Hic Conjugem Conjux petit,
Vitamque spe præsumit una posthumam
Diuturnioris particeps consortii.

De Literarum Græcarum Institutionibus Dissertatio Critica.

Ad Edvardum Bentham, S. T. P. Ædis Christi Canonicum, Haud ita pridem Coll. Oriel. Socium & Tutorem.

IN reipublicæ literariæ celebritatem prodiens, Te imprimis, vir amicissime, compello: siqua ego vel παιζων vel σπουδαιολογων scripsisse videar, Tuis quæ usui sint, ea qualiacunque ad Te libenter defero; Te mihi & Censorem & Patronum adhibere velim, quem in hoc scriptionum genere versatissimum cognoverim. Hæc itaque ὁδοιπορουντος μελετηματα, laboris otiosi fœtus tenues, Tibi sive castiganda sive approbanda commendo: aliquem certe sive benevolentiæ sive judicii severioris fructum experiri cupio; quorum alterum efficiet ut ipse mihi magis placeam; alterum, ut Lectoris Critici censuram minus petimescam.

Ego quidem, cum literarum *Græcarum* studiosos, qua potui, opera omni adjuvare vellem, in eo, quod maxime desiderabatur, maxime mihi elaborandum esse intellexi; ut nempe scriptionum in hac parte aliquarum non tam præceptionibus, quam exemplis quibusdam,

dam, propositis, lumen aliquod præferrem; ita ut Juventus vestra Academica ad exemplarium *Græcorum* imitationem excitaretur, atque ut in *Græcis* perinde ac *Latinis* * styli, qui quidem est *optimus & præstantissimus dicendi effector ac magister*, exercitatio frequens adhiberetur. Hoc id ipsum est quod unice desidero, quod, cum magni sit laboris, *quem plerique fugimus*, sentio a plerisque prætermitti: quod tamen, cum magni sit momenti, imo & id ipsum, ex quo præcipue hac in disciplina efficitur ακριβολογια, ideo adolescentibus vestris omni opera commendari sive imperari velim.

Dolerem sane, siquo aut fato vestro, siqua sive discentium sive etiam docentium culpa contigerit, ut literarum *Græcarum* studia apud vos consenescerent. Et certe vobis turpe quiddam & jure pudendum videretur, si, quo plura accesserint adjumenta, eo magis industriam vobis languere pateremini. Utinam illa, verborum facibus admotis, aliquatenus a me resuscitari &

* M. T. C. *De Oratore*, lib. i.
Periodum integram, cum ad rem nostram faciat, transcriptam exhibere libet. "Caput autem est, quod, ut vere dicam, minime facimus, (est "enim magni laboris quem plerique fugimus) quam plurimum scribere: "*Stylus optimus & præstantissimus dicendi effector & magister*. Neque inju-"ria; nam si subitam & fortuitam Orationem commentatio & cognitio fa-"cile vincit, hanc ipsa profecto assidua ac diligens Scriptura superabit. "Omnes enim, sive artis sint Loci, sive ingenii cujusdam atque pruden-"tiæ, qui modo insunt in ea re de qua scribimus, inquirentibus nobis "omnique acie ingenii contemplantibus ostendunt se et occurrunt; om-"nesque sententiæ verbaque omnia, quæ sunt cujusque generis maxime "illustria, sub acumen styli subeant & succedant necesse est. Tum ipsa "collocatio & conformatio verborum perficitur in scribendo," &c.

accendi

accendi possit. Interea vero isthoc haud facile tolerandum reor, ut adolescentes vestri ultro sibi fraudem in hac re facerent, atque ita *Græcis* operam darent, ut libelli alicujus in manus traditi lectione (sterili forsan illa & desultoria) perfuncti mirum quiddam se effecisse putarent; aut, cum, oculo properante & ad *Latina* furtim detorto, pauca quædam perceperint, interpretes idoneos se haberi velint; qui interim disciplinæ hujusce se prorsus rudes & ignaros arguunt, neque vocum singularum neque sententiarum vim, neque dictionis idiomata & elegantias, neque denique scriptoris mentem ullatenus assecutos. Nolo, inquam, ut perfido industriæ alienæ subsidio male usi incerta pro certis captarent; vellem potius, ut omnia marte proprio elaborata superare discant, discere, ingenii sui vires periclitari, & ex ipsis demum fontibus derivatam orationis Atticæ puritatem & ακριβειαν omni studio exquirere & haurire.

Quibus potissimum modis, rogas? — iisdem profecto, quibus acquiritur linguarum omnino omnium cognitio accuratior: scilicet non tam lectione multiplici & cursoria (hanc enim a plerisque frustra adhiberi video) quam meditatione quadam castigata, quam acuminis Critici animadversionibus iteratis, & crebra styli imitatoris exercitatione. Quid de *Latina*, quid etiam de *Vernacula* censes? Quorsum in utrâque Scriptio tam frequens præcipitur, nisi ut acquiratur perceptio promptior, & intellectio penitior? Quid autem est, cur non in *Græca* pariter eadem valeat disciplina? —

Quin

Quin vide homo homini in hac parte quid præſtat, exercitatus imperito, & quid efficiat ipſa ſcribendi conſuetudo. Quis non experiundo ſentit multa nos tum Legentes tum Colloquentes fugere & latere, multa itidem elabi? At vero Scribentibus eadem ſponte occurrunt: univerſa & ſingula ſub acumen ſtyli ſubeunt: delicatum quoddam faſtidium Meditantibus adhæreſcit, ſtyluſque, ut ita dicam, mira quadam præſenſione ſolœciſmi & inelegantiæ cujuſvis ſpeciem refugit. Scribenti non monitor, non præceptor, non caſtigator deerit; ipſe ſibi quæque tradet, tanquam αυτοδιδακτος: ſcriptionis ſtudioſus ſuæ in alienis plus ſapiet, quæ adhibet tanquam ſua. Et profecto in omni parte domeſticæ hujuſce meditationis permagna eſt vis: involuta explicantur, difficilia expediuntur, nec ipſæ minutiæ latent: expenduntur omnia: dictionum idiomata, ellipſes, verborum vis, delectus, copia, collocatio, & orationis totius apta conſtructio: hæc omnia ſcriptor diligens circumſpiciet, meditabitur, elaborabit.

Illud porro præcipuum habent *Græci*, cum ex ingenio ſuo priores ſcripſerint, παραδειγμα μαλλον αυτοι οντες τισιν, η μιμεμενοι ετερες, quod in ſuo genere quiſque præſtantiſſimus proprio quaſi charactere ſignetur, atque adeo in ſingulis ſingulare quiddam reperiatur, quod cum laude quiſquam imitari poſſit. Quicquid univerſi habeant commune, quicquid ſinguli ſibi proprium, id omne ſedulo animadvertet, quod ad ſe transferri gaudet; collationibus his inſtitutis judicia ſibi confirmari ſentiet, ſcriptionis demum cujuſcunque colorem & fi-

guram

guram exprimet: unde efficitur illud, quod rerum omnium caput eſt, *ſapere*.

Quæ cum ita ſint, ſiquidem literarum *Græcarum* ſtudia debito cum fructu ſuo excoli & promoveri velimus, inter cætera induſtriæ inſtrumenta præcipue ad hanc ſtyli exercitationem, cujus vim tam late patere ſentio, adoleſcentes noſtri ſunt cohortandi, ita ut, quemcunque Legentes admirantur, eundem etiam Scribentes ſibi imitandum proponant. Ecquis igitur in Philoſophia, *Platonis* copiam & ſplendorem, *Ariſtotelis* ſubtilitatem & ἀκρίβειαν, — Ecquis in Oratoria, *Iſocratis* dulcedinem & lenitatem, *Lyſiæ* nitorem & tenuiores elegantias, *Demoſthenis* vim & δεινότητα, —— Ecquis demum in Hiſtoria, *Herodoti* ſimplicitatem & exuberantiam, *Thucydidis* ſententias & elaboratam gravitatem, *Xenophontis* puritatem & æquabiliter profluentem ſuavitatem, —— Ecquis, inquam, (ne plura commemorem) in ſingulis hæc maxime præclara cenſet? en totidem videt, quæ ipſe ſequatur, exempla!

Exercitationum porro hujuſmodi fructus ſiquis quærat — mecum modo recolat velim quid hac in parte effecerint *Græcorum* imitatores *Romani*. Hæc ipſa commemoratio mihi videtur eſſe quaſi exprobratio quædam, cum videamus nos ab illis non tam ingenii, quam induſtriæ laude ſuperari. Erat enim, erat profecto in illis incredibilis quidam ſtyli labor, & ambitioſa æmulatio, quidlibet aggredi feliciter audax, aliquando etiam et ea, quæ non ſequebatur, quaſi devio itinere conſecuta. Unus hac in parte a nobis prædica-

bitur

bitur *M. T. Cicero*, quem in *Græcis* ita verſatum novimus, ut eorum quaſi ſuccum & ſanguinem in ſcripta ſua transfuderit, & ab ipſis demum omnem tum philoſophiæ tum eloquentiæ laudem ad ſe derivaverit. Ille adeo, quid ſtyli exercitatione effici poſſit et debeat, non tam præceptis quam exemplo ſuo commonſtravit; ita *Græcos* imitatus, ut illum deinde imitari poſſe laudis fuerit ampliſſimæ.

Ne vero exempla domeſtica nobis defuiſſe putes, redi aliquando mecum in temporum præteritorum memoriam, & in illud præcipue ſæculum, ſuperiore ſuperius; quod ſane *Ciceronianum* haud fruſtra appellaveris. Miraberis profecto talem in omni genere literatorum proventum extitiſſe: imo vero & fœminas, & quidem ſanguinis nobilitate illuſtriſſimas, ea, quæ viri etiam doctiſſimi non ſine invidia laudarent, ingenii monumenta protuliſſe. Quibus vero artibus, quave diſciplina uſi homines in tantum profecerint, in *Pædagogo* ſuo & *Epiſtolis* docet autor graviſſimus, *Aſchamus*. Hoc nempe, quantum quantum erat, præcipue effecit illa, optima dicendi magiſtra, ſtyli exercitatio. Non illi lectione quadam ſolitaria frigidaque, non, interpretationis alienæ ope vicaria freti, per ambages vel compendia, neſcio quæ, ad *Græcorum Latinorum*que intellectionem tam accuratam pervenerunt; ſed meditatione ſevera, ſed expendendo ſingula & elaborando, &, quod cætera fere complectitur omnia, plurimum ſcribendo: atque ita quidem, ut e *Latinis Græca*, e *Græcis Latina*, ex omnibus *Anglica* redderent: qua

quidem in exercitatione ipsa & acrius explorantur singula, & intelliguntur penitius. Video equidem laborem nobis hac in parte objici haud mediocrem, *quem plerique fugimus*; at video simul exinde fructus oriri haud mediocres, cum his ipsis ex difficultatibus distinctior & expressior prodeat orationis vis omnis & gratia. Et sæculi quidem illius scriptores jure prædicamus; quippe qui illud imitando consecuti videntur, ut præ cæteris *Latinissimi* & *Ἀττικώτατοι* merito habeantur, cum unice ad exemplaria in omni genere præstantissima stylum conformârint, & in scriptis, perinde ac moribus, commercii popularis contagionem refugerint.

Hæc de styli exercitatione ita a me dicta sunt, ut scias, non tam rebus novis me studere, quam antiqua revocare velle, atque ita exempla majorum laudare, ut etiam imitanda proponam, & adolescentibus vestris industriæ simul & gloriæ consimilis æmulationem accendam.

Haud profecto ea mihi est aut animi vis aut dicendi exercitatio, ut, quæ olim in *Latinis Famianus Strada*, eadem in *Græcis* exsequi me posse confidam: id operis, arduum sane præclarumque, & nostro majus ingenio, linguæ *Græcæ* Professoribus, iisque qui plus & otio literisque abundant, intactum relinquo. Interea, quæ potui, pauca quædam prolusi, satis habens, si, quæ hac in parte facio aut fecerim, Tibi Tuisque aliquatenus prodesse aut placere possint.

Jam

Jam vide mecum Editionis consilium: atque adeo vide id ipsum, quod tecum commune habeo, ut, quacunque in re nostra desideretur opella, adolescentibus vestris adjumento esse possim. Malo equidem arrogantem me haberi, quam ita maligne verecundum, ut quod vobis usui siet, invidere videar. Utinam profecto vestris in *Athenis*, quas omni laudis genere florentissimas esse cupio, qui ingenio et eruditione valent maxime, iidem præ pudore, nescio quo, fastidioso, lucem publicam minus refugerent; nec ita se literis abderent, ut nihil ex his ad communem fructum efferre vellent! utinam et famæ suæ et utilitati publicæ melius consulerent, atque adeo, prout res postularet, in omni, quam profitentur, arte vel facultate, aliquod in medium educerent, ita ut nihil desideraretur quod discentibus subsidio esse possit aut documento.

Te quidem video inter Academicos exemplo laudabili præeuntem, atque ita in republica literaria versatum, ut in omni fere disciplinarum genere aliquod in Tuorum usus protuleris. Atque, ut philosophica omittam tua, libet ea unice, quæ ad rem philologicam spectant, breviter attingere, et, quæ *Græca* tua perlegenti in mentem venerint, commemorare. Scias adeo me non ita pridem in manus sumpsisse libellum, editum a Te tempore, ni fallor, satis opportuno, et consilio mehercle satis solerti, ut nempe Militibus nostris, pro patria honeste morientibus, quasi in Funere Publico, Λογοι Επιταφιοι instituerentur; et ad eorum laudes celebrandas Rhetorum *Atticorum* eloquentia translata

redundaret. Titulum præſcriptum inſpiciens laudo protinus materiæ haud vulgaris delectum, præclarum ſane illum: ſiquidem Oratorum diſpari in genere præſtantiſſimorum præclara ſit oratio. Neque ſane quidquam exhiberi poterat vel ad admirationem pulchrius, vel ad uſum accommodatius, quam hæc ingeniorum diſſimilium in cauſa conſimili quaſi concertantium æmulatio. Quamobrem haud vereor laudare hoc Editoris conſilium; qui per compendiariam hanc συναγωγήν, in genere diverſo eloquentiæ *Atticæ* exempla totidem protulerit, et Lectori notandum indigitaverit illum ſtyli diſſimilem colorem et figuram, illum ſententiarum ſive ſplendorem, ſive pondus, ſive acumen; ita ut, ex hujuſmodi collatione inſtituta, ille virtutum in dicendo diſſimilium ſenſus atque judicium eliciatur. Iſthoc eſt *ſapere.*

Rogas porro de Editione tua quid ſentiam? imo ego viciſſim ea, quæ Editor quilibet non tam ſoleat quam quæ debeat præſtare, imprimis quæro.—Quod ad textus genuini fidem ſtabiliendam ſpectat, video ſane quod lucro apponas, cum id operis aliena induſtria jam olim haud infeliciter abſolverit. Vide porro quid mecum una Lector æquus flagitat: non ſane ut eruditionis Criticæ farraginem oſtentes (ſpecioſam forſan et inutilem) laudum interea tuarum potius quam orationis alienæ Editor, ſed ut ſcriptoris cujuſque mens præſtetur integra, atque adeo Orator exhibeatur ſuo modo Oratorie perorans. Peregrinus interpretem quæro; non hominem *Romanum*, ſed *Atticum*, qui per

Athenas

Athenas suas hospitem deducat, et erranti comiter commonstret viam. Ecquid ergo in rebus ipsis occurrit difficile cognitu? ecquid reconditum, et ab usu communi remotum?—quà potest, lumen aliquod obscuritati affundatur: ex historiæ monumentis eruatur quicquid est indiciorum; Locorum, Temporum rationes, Populorum ingenia, mores, consuetudines explorentur, intelligantur; ita ut paulisper, quasi cives inter *Athenienses* ascriptus, concionibus publicis interesse videar, perorantium auditor atque applausor.

Ecquid porro in Oratione ipsa, in Verbis singulis, sive Sententiis, occurrit asperum & intractabile? ecquid in illis novum atque inauditum? ecquid in his impeditum, atque involutum?—elucidentur incognita, definiantur dubia, impedita expediantur, involuta explicentur. Ecquid idiomaticum? — ad communem usum revocetur id quod erat quasi privati juris. Ecquid denique ellipticum? (quod sane linguis omnino omnibus incidat oportet) resarciantur mutila, suppleantur defectus, & oratio demum substituatur integra; ita ut eadem opera legentibus & syntaxeos grammaticæ ratio constet, & scriptoris recondita mens aperiatur. Hæc præcipue ut editor doctissimus imbecillitati condonet nostræ, lectorum rude vulgus haud temere flagitamus.

Sed quid interim Editio tua? haud sane video cur examen refugiat, cum ita sit adornata, ut, quæ maxime requiruntur, ea nobis subsidia administret. Etenim in materie subjecta siquid forte obscurius videatur,

ad

ad illud, qualecunque fuerit, illuſtrandum video ex hiſtoriæ monumentis lumen aliquod a te adduci: video Tabulas adjectas, quæ rerum geſtarum ſeriem ἐν συνόψει exhibent ordine chronologico digeſtam. Et quidem res ipſas, quarumcunque mentio inciderit, Annotationes quædam hiſtorico-politicæ, & quidem ſermone vernaculo conſcriptæ, fuſius exponunt elucidantque; ita ut ad civitatum *Græcarum* πολιτειῶν, hominumque mores & ſtudia dignoſcenda, hoſpes haud penitus rudis accedam.

Dictionis porro *Atticæ* vis ne non intelligi poſſit, ſatis a te cautum eſſe video: duplex enim adhibetur inſtrumentum; tum Lexicon, in quo vocum ſingularum definitio profertur, tum Phraſeologia quædam inſuper annotationibus intertexta, quæ ſententias explicet difficiliores; quæ quidem, cum facultatem Criticam in ſe complectatur, utinam *Græcis* omnino omnibus jam editis plenior atque diſtinctior acceſſiſſet. Identidem etiam, ubi dignus vindice nodus inciderit, interpretationem apponi video, haud ſane, qualem ſæpius exhibent *Latini*, ambiguam atque fallacem; ſed paraphraſticam & apertam, quæ rem ipſam attingat, &, quicquid perplexum & involutum ſententiæ ineſt, id omne expediat; ita ut ellipſes & idiotiſmi quilibet notentur, & membrorum, qua fas eſt, ad normam Grammaticam analyſis inſtituatur. Quid multa? libello tuo ad diſcentium uſus nihil excogitari poterat accommodatius; neque quidquam aliud deſiderari ſentio — præter Lectoris induſtriam.

Satin'

Satin' hæc laudi tibi fuisse putas ? — sed heus, mi amice, ne tibi nimium placeas ! infelix operis summa nihil adhuc egisti : fordet tibi adhuc speciosa hæc editio, neque paginae nitor, neque typorum magnificentia, neque ulla decoris externi valet commendatio. Nihil, inquam, egisti ; deest enim id ipsum, quod est instar omnium, interpretatio *Latina* ; Discipuli reclamant ; Præceptores mussitant, mercesque minus vendibiles queritur Bibliopola. Quid tu contra ? audire videor hanc expostulantis responsionem æquissimam : " Ego quidem editor discentium captui potius quam " hominum criticorum fastidiis satisfacere volui : subsi- " dia, quæ potui, maxime idonea adhibui, Lexicon, " Phraseologiam, Annotationes : ut nempe & Verbis " singulis, & Sententiis, & Rebus ipsis aliqua explicatio " non deesset. Quid ultra quæritis ? interpretationem " *Latinam* ? — atqui videte & *Platonis* & *Lysiæ* orati- " onem ita esse perspicuam, ut nulla indigeat ; *Thu-* " *cydidis* vero ita obscuram, ut non recipiat : nullam " certe reperio, quæ, quod *Thucydidis* sit proprium, " exhibeat : video potius pro re nata paraphrasin quan- " dam vel analysin confici oportere, ut sententiarum " vis atque ratio luculentius aperiatur. Quis nescit " quam fere nullo cum fructu suo Lectores plerique in " *Græcis* versentur, cum interpretis *Latina* ita soleant " percurrere, ut *Græca* vix omnino attigerint ? Nolo " vobis ut noceat fraus hæc blandissima : ad Lexica " potius & ad Grammatica revoco : *Græca* oculo ir- " retorto spectare, ingenii proprii vires & judicii acu-

" men

“ men exercere jubeo: en vobis industriæ adjumenta
“ paro, non ignaviæ lenocinia: quicquid commodi
“ afferre possint versiones *Latinæ*, non illud vobis in-
“ video: sed, quicquid apportant incommodi, illud
“ amoliri cupio.”

Hæc fortasse Tu;— & quidem recte philosopharis: utinam vero in republica *Platonis*, potius quam in fæce *Romuli!* Verum enimvero nihil agis: tibi invito se comitem ingeret *Latinus* interpres: miraberis profecto Tibi Te præferri, novamque libello tuo gratiam pretiumque accessisse. scilicet omne isthoc effecit ille autor, qui *quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,* tota philosophantium gente plenius & melius novit,—isthoc, inquam, effecit ille Criticorum princeps, Bibliopola; eadem opera & adolescentium desidiæ, & lucello prospiciens suo.

Quorsum, inquis, hæc?—& Ego?—& ad Te?—& quonam animo?—ridens vel indignans?—at certe isthoc, cum de Institutionibus *Græcis* scriberem, prætermittere non potui, quod adolescentibus vestris, quod discentibus plerumque fraudi & impedimento fore duxerim.

Haud profecto is sum qui Versionum *Latinarum* usum omnino tollendum esse statuam, quando in eis nonnunquam cernitur facultatis criticæ compendiaria quædam laus: verum idem sentio, quam imperitorum animis periculum anceps inferatur, & quam difficile sit subsidiis istiusmodi oblatis non abuti. Quis nescit ea, quæ res ipsa fert, incommoda? interpreti *Latino* cedunt

cedunt exules Lexicographi, & quicquid est studii operosioris. Quorsum enim cum labore illud foris quæritur, quod facili sumptu paratur domi? Hinc fit ut adolescentes plerumque, ultra interpretem *Latinum* sapere non ausi, sensum illum tralatitium qualemcunque & sententiam præjudicatam pro genuina temere arripiant; imo & sibi & docentibus fraudem facere gaudeant, quoties in salebrosa & difficiliora quædam inciderint; & tum demum sibi plaudere & triumphare videantur, cum quoquo modo se expediverint, sive ambiguæ Latinitatis nebula tecti, sive, velut in lucis dubiæ crepusculo, nec observati nec deprehensi evaserint.

Interea vero, cum, quod in *Græcis* est idiomaticum, id interpretatio *Latina* neutiquam exhibeat, videntur mihi quidem cum apparatu illo suo non tam *Græca* quam *Latina* percipere; adeoque, tanquam peregrini ducem peregrinum sortiti, oculo festinante ignota percurrunt, ipsisque in *Athenis Athenas* desiderant.

Ne vero mea tibi ulterius ingeram, libet potius Editoris cujusdam doctissimi fortius atque melius de Versionibus *Latinis* judicium subjungere: qui inter alia hæc insuper præfatur: — " tantum abfuit ut novam " versionem mihi conficiendam esse putarem, ut pro- " pius nihil factum sit, quam ut nullam ederem; quippe " qui & omnibus versionibus de lingua *Græca* in *Lati-* " *nam*, de utravis in Vernaculas, quibus hanc cum " doctorum incredibilem paucitatem, tum semidocto- " rum & sciolorum multitudinem præcipue, ni fallor,

"debemus, capitalis hostis sim, & hunc ridiculum
"morem adjungendi libris *Græcis Latinas* interpreta-
"tiones *Græcarum* literarum labem & perniciem exti-
"tisse semper existimaverim. Sed quid facerem? li-
"ber *Græcus*, sine versione *Latina* editus, quam cito
"vel in magnorum Doctorum bibliothecis situm ducat?
"& quis vermibus & araneis scribere velit? Quid quod
"& compendii bibliopolæ habenda ratio erat; qui
"confirmavit, *Græcum* codicem, incomitatum versio-
"ne *Latina*, omnium malorum mercimoniorum esse
"longe indivendibilissimum; quare se magnopere mihi
"auctorem supplicemque esse, ut pestiferum illud con-
"silium abjiciam," &c. Hæc clariss. *Thirlbæus in Præfat. ad Justin. Mart.*—Jure mireris rationum allatarum vim, præclaram sane illam & ineluctabilem! scias adeo, quamdiu libri fuerint vendibiles, versiones has *Latinas* nunquam vobis defuturas.

Egon' igitur ut quidquam opponam contra?—— at pace vestra, bibliopolæ, id saltem, quod expertus sensi, liceat commemorare, merces hasce vestras discentibus adeo non fuisse documento & subsidio, ut sæpius incommodo fuerint & impedimento. Quid enim? ex quo illæ in omnium manus venerint, ecquid incrementi literarum *Græcarum* scientiam accepisse putatis? *πολλȣ γε και δει·* imo vero in hac tanta omnigenæ eruditionis luce hominum *Græce* doctorum miram paucitatem existere querimur. Adolescentium nostrorum opera vos abuti querimur, qui a *Græcis* ad *Latina* (& illa quidem ambigua utplurimum & infida) oculorum

& ani-

& animorum aciem detorquetis. Quid enim aliud efficit hæc diſciplina, quam ut prodeant non tam *Græci*, quam interpretum *Latinorum* interpretes, atque adeo multa intelligendo nihil intelligant.

Quid? quod de *Græcæ* linguæ artificio ſingulari, de Particularum argutiis, variiſque Idiotiſmorum elegantiis jam olim à ſummis viris prædicatum accepimus, id omne, quod ſentio quam latiſſime pateat, idem ſentio in Verſionibus veſtris exhiberi non poſſe, ſed altius eſſe petendum, & quaſi mediis ex *Athenis* eruendum. Querimur denique hac fraude lenonia veſtra adoleſcentibus induſtriam corrumpi; ita ut non jam Lexica evolvere, ut nihil ipſi meditando extundere, nihil de ſuo promere aut recondere ſtudeant,---ſed longe ſatius habeant labore alieno ſapere quam ſuo,---ingenii alieni opes, tanquam hæreditatem a proavis relictam, invadere, diſtrahere,—&, quicquid ad manum parabile acciderit, temere arripientes, nihil ultra quærere & allaborare. Videte adeo quid præclara compendia veſtra effecerint! propter exercitationis deſuetudinem debilitatur ingenii vis, & hebetatur acumen: ſcientiæ incremento obeſt ipſa diſcendi nimia facilitas, copia reddit inopes, & moram parit feſtinatio; ſpecies recti incautos decipit, & pro rebus ipſis inanes captantur umbræ. Itaque ergo tam pauci linguæ *Græcæ*, cujus ſtudium præ ſe ferunt, peritiam atque cognitionem intimam ſunt aſſecuti. Ecquod huic malo remedium adhiberi cupis? fac idem ut priſtina majorum in ſtudiis inſtituendis induſtria reſuſcitetur, patientia exercitetur;

 ut

ut adolescentes vestri omnia marte proprio aggrediantur & elaborent, quasi nulla sibi essent in promptu subsidia; ita demum ingenii sui viribus uti consuescant, ut auxilio alieno neutiquam indigeant. Haud profecto illis servitutem *Ægyptiacam* impero: cognitionis certe in omni genere instrumenta illis nulla invideo; at idem cavendum puto ne concessis abutantur; ne forte, quæ industriæ incitamenta esse debent, eadem ignaviæ lenocinia & alimenta subministrent. Quamobrem versiones *Latinas* cautius adhiberi, neque tironibus, nisi discrimine habito, & quidem rarius, indulgeri velim.

Hæc vero intelliges ita a me esse dicta, ut qui non tam hominibus *Criticis* quid liceat, quærere videar, quam *Discentibus* quid expediat, quid sit incommodo. Quare Editores illos præcipue laudo, qui, cum facultatis criticæ laudem amplissimam fuerint consecuti, ad humilitatis interea nostræ conditionem descendere non dubitarunt, qui scilicet (ne quid de annotationibus operosioribus dicam) scriptori suo *Attico Indicem Atticum*, & phraseologiam comitem adjunxerint; ita ut vocum singularum definitio & sententiarum difficiliorum explicatio proponeretur; quæ quidem duæ res efficiunt ut interpretatio *Latina* minus desideretur; cum ex utraque parte probe cautum sit, ne tirones vestri aut opibus alienis nimium confidant, aut suis prorsus diffidant: ut neque horum imbecillitas adminiculis idoneis destituatur, neque illorum industriæ stimuli desint & incitamenta.

Postremo,

Poſtremo, quoniam, quod *Græca* habent difficillimum, illud fere totum aut in Ellipſibus, aut in Idiotiſmis, aut denique Particulis, & id genus argutiis, continetur, hujus certe diſciplinæ adoleſcentes veſtros haud prorſus ignaros eſſe volumus: atque adeo illa potiſſimum, quæ his de rebus *Lambertus Bos* & *Vigerus*, & *Devarius* præclare ſcripſerint, perlegenda commendamus. Siquis vero nos majus quiddam atque operoſius exigere putet, quam quod pro facultatibus, pro ingenio, atque otio, ab ipſis præſtari poſſit, idem nobiſcum una quærat, quænam inſtrumenta magis commoda & idonea ſubſtitui poſſint. Quid ergo? quid ſi e ſcriptoribus modo laudatis, delectu ſolerter habito, *Enchiridion* quoddam excerperetur, ita concinnatum, ut generis cujuſlibet exempla, quæ occurrunt maxime memorabilia, velut archetypa quædam, & capita magis generalia, exhibeat, ad quæ ſingula ejuſdem ſpeciei, vel etiam cognatæ gentis, revocari poſſint; ita ut tirones veſtri, hiſce documentis inſtructi, ea, quæ aliquandiu involuta & incondita latuerunt, penitius explorare diſcant, & ad intima Grammaticæ, ut ita dicam, myſteria inveſtiganda haud prorſus *αμυητοι* accedant.

Quoniam vero in hanc materiam incidimus, libet porro noſtratium unice in gratiam aliud quiddam adjicere. Illud adeo mecum recognoſce, quod de præceptis omnibus quibuſcunque eſt judicio communi conſtitutum, ut ſint brevia, & ſimplicia, & diſcentium captui convenientia. Jam vero homines Criticos Grammaticoſque ſentis utplurimum *Latine* ſcripſiſſe, & quic-

quicquid eſt præceptionum ab iis ſermone plerumque *Latino*, & eo quidem non communi & populari, ſed ſcholaſtico & acroamatico fuiſſe traditum: ita ut in id intuens percipere videar non tam Præceptoris ad Diſcipulum, quam Philoſophi cum philoſopho differéntis orationem; præclaram illam fortaſſe & admirabilem, verum non tam ad aliquem diſciplinæ fructum, quam ad eruditionis reconditæ oſtentationem pompamque comparatam. Quid igitur vero velim rogas? ut nempe quicquid eſt in hac parte præceptionum, id omne plenius & diſtinctius proponatur idiomate non *Latino*, ſed *Anglicano*: ut quod uſui communi inſervire debeat, idem quoque communi ſenſui atque intellectui accommodetur; & proinde *Enchiridion* iſthoc, quod adoleſcentium noſtrorum in gratiam concinnari velim, dictione exprimatur pura atque didactica, neque minus philoſophica, imo &, ſi res poſtulet, ſcholaſtica, modo per ſynonyma vel paraphraſin commoda adhibeatur explicatio. Illud denique præcipuum quæro & curo, ut ſententiæ cujuſque vis & facilius percipiatur, & diſtinctius intelligatur; atque adeo cum vernacula et noſtra iſthoc longe felicius præſtet quam *Latina*, illius ideo hac in parte, quam hujus uſum, longe potiorem reor.

Quoniam autem de Præceptionibus dixi, libet itidem de Exemplis pauca quædam ſubjicere. Atque adeo quoties illa e *Demoſthene*, *Platone*, *Ariſtotele*, *Xenophonte*, vel alio quolibet ſcriptore laudato viderim citata, toties ſubiit votis ſaltem præcipere, ut itidem e noſtratium idiomate parallela quædam dictionum exempla, *Græ-*

cis

cis maxime respondentia, simul adducerentur; ita ut Particularum, Idiotismorum, Ellipsium nostratium mira cum *Græcis* convenientia atque cognatio perspici, adeoque e linguæ alterius intellectione ad alteram via facilior aperiri possit. Institutione hujusmodi nihil certe ad docendum aptius excogitari potest, cum a notioribus usque ad minus nota fiat progressio, certior quidem illa & auspicatior, & hæc sive cognata sive opposita ita se invicem illustrent, ut tiro noster, quæ in vernacula familiariter adhibere consueverit, eadem in *Græcis* minus difficilia experiatur. Illud certe scitum est *Anglicanam* hanc nostram ad linguæ *Græcæ* indolem propius accedere quam *Latinam*, & exempla quidem hac in parte adeo non deesse, ut etiam sæpe aliud meditantibus ultro se ingerant: & certe eadem nobis omni ingenii acie contemplantibus atque sedulo exquirentibus haud invita occurrunt.

Quid vero est quod homines etiam κριτικωτάτȣς pudeat ea, quæ ad usum communem pertinent, sermone communi & populari efferre, cum ille Noster philosophiam tum *Græcam* tum *Latinam* haud incommode recipiat, imo aliquando etiam & auctiorem redonet ubertate locupletatam sua? Et scriptionum quidem ejusmodi video neque exempla deesse neque incitamenta. Ut enim de cæteris taceam, quid novissime † *Hermes* noster, qui quod Galli plerique celebres in vernacula sua, id ipsum in *Anglicana* nostra, pari cum ακριβολο-

† *Hermes*, by *James Harris* Esq; 1751.

γιας

γιας laude eſt aggreſſus? Et profecto præclarum quiddam mihi videtur præſtitiſſe, qui, *Græcorum* opibus undique congeſtis, ſermonem patrium ditaverit, — qui acroamata recondita e Scholis in lucem communem & celebritatem eduxerit,— ſubtilitates metaphyſicas ſtyli elegantiis urbanioribus ornaverit, —de popularibus philoſophice, de philoſophicis populariter diſſeruerit; &, quod demum rei caput eſt, & quidem maxime deſideratum, Grammaticos de arte ſua argutius philoſophari docuerit.

Hæc habui, vir amiciſſime, quæ ad te ſcribens de linguæ *Græcæ* ſtudiis recte inſtituendis libere pro re nata dicerem; eo unice animo, ut diſcentium utilitatibus aliquatenus inſervirem: atque adeo id imprimis egi, ut ſtyli exercitationem, quam maxime deſiderari ſentio, tam exemplo quam præceptionibus commendarem;— ut deinde, qui tironibus noſtris ſæpius fraudi & incommodo fuerit, verſionum *Latinarum* abuſum præciderem, vel moderarer;— ut poſtremo diſciplinæ hujuſce inſtrumenta magis idonea ſubſtituerem.

Alia mihi adhuc dicenda reſtant, quibus oratio noſtra præmuniri, aut excuſari, aut etiam offenſiones declinari poſſint.

Imprimis itaque, quod ad *Græca* attinet— nonnulli me νεωτερίζειν exiſtimabunt, qui apices iſtos vel σημεια, quæ vocibus *Græcis* grammaticorum neſcio quæ autoritas jamdiu affixerat, auſus ſim refigere, literaſque nudato capite quaſi inermes in artis typographicæ opprobrium proſtituere. Ecquis interea facti hujuſce rationem

tionem quærit? ſciat adeo hoc me feciſſe ſedulo: haud ſane laboris alicujus devitandi cauſa (ſentio enim et iſtum, qui his argutiis impenditur, haud prorſus fructu ſuo deſtitui) neque vero præ arrogantia aut faſtidioſo rerum novarum ſtudio, ſed hominum quorundam vere criticorum autoritate ſimul & rationum hac in parte graviſſimarum momento adductum: & ea quidem mente, ut, qua fas eſt, ſcriptionis antiquæ verior facies, & ſyllabarum in dicendo genuina vis conſervari poſſit; atque adeo ut iſtius ψευδοπροσῳδιας, &, quæ exinde orta jamdiu inveteravit, pronuntiationis vitioſæ conſuetudo paulatim abrogata exoleſceret. Utcunque vero intermortua ab interitu revocare, aut vetuſtate dilapſa in integrum omnia reſtituere non liceat, at certe laudis erit non infimæ in hujuſmodi diſquiſitionibus ad rei veritatem aliquando propius acceſſiſſe: at ſaltem levius peccare minuſque inter *Græcos* βαρβαριζειν videbimur, qui linguæ priſtinam ſimplicitatem redintegrari volumus, quam iſti literatores, qui operoſum iſthoc accentuum artificium invexerint, qui nova quædam ſigna, ſonoſque auribus *Atticis* plane ignotos, ultro citroque affixerint, &, licentia plusquam poetica abuſi, longa corripuerint, brevia produxerint, incongrua demum compoſuerint, & μετρον αμετρον, ῥυθμον αῤῥυθμον exhibuerint. — Haud certe video quid aliud effecerit hæc noſtra accentuum tam inconcinna pronuntiatio.

Sentio equidem in quæſtionem me jam incidiſſe a Grammaticis diu multumque agitatam; de qua quidem neque nihil, neque ſane multa libet dicere. Ac-

centuum itaque duplex atque diversa mihi videtur ratio; tum eorum, quos, *Græcia* adhuc florente, ars Musica sibi proprios adhibuit; tum eorum, quos sæculis deterioribus linguæ obsoletæ & tantum non emortuæ affinxit Grammaticorum obscura diligentia. Nullus sane dubito, quin apud *Græcos* perinde ac *Italos* proprius quidam pronuntiandi modus, & certa quædam vocis modulatio fuerit usurpata: imo vero, si quid uspiam ingenii solertia & artis præcepta ad linguæ alicujus varietatem & ornamentum afferre potuerint, facile intelligo id omne uberrimum *Græcæ* accessisse; ita ut præ cæteris quibuscunque jure suo habita fuerit μετριχωτατη, & μυσικωτατη. Atque adeo, ut de aliis taceam, Tragœdias, & id genus poemata sentio ita ab ipsis fuisse recitata, ut etiam cantari viderentur; & hanc insuper vocis modulationem qualemcunque, quam pro re nata Choragi jussu αυλητης vel φωνασκος aliquis præceperit, id cavens præcipue nequid extra numerum Histrio pronuntiaret, certis quibusdam notis fuisse designatas; quæ quidem, quoniam in Musica adhibitæ tonorum varietatem indigitarent, Προσωδιαι sive Accentus nominabantur. At quales illæ fuerint, neminem puto e doctissima *Meibomiorum* gente conjectura assequi. Qualescunque autem illæ fuerint, hoc saltem in genere videmur intelligere, scilicet ad Musicæ usus fuisse illas præcipue comparatas, (quod ipsum & rei ipsius & nominis ratio satis indicat,) & e Theatro postea ad Colloquium populare nescio quomodo traductas.

Siquis

Siquis forte miretur in hujusmodi rei tam apertæ ignoratione tanta nos versari, idem velim mecum recolat, hæc ipsa, cum in hominum sensus indies incurrerent, *Græcis* omnibus fuisse notiora, quam ut descriptione ullá indigerent. Proinde *Aristoteles* in *Poetica*, cum cætera fusius explicaverit, de hac re pauca modo obiter & parce nimis, *μελοποιιαν δε — ὁ την δυναμιν φανεραν εχει πασαν.* Itaque ergo contigit ut, quod olim Vulgo erat notissimum, id ipsum Posteris jam prorsus incognitum interciderit. Quid igitur? de rebus obscuris & incertis, quarum nec monumenta extant ulla, neque satis explicata commemoratio, pro certó aliquid fidenter statuere animi foret arrogantis & temerarii: & certe satius est negativa quam affirmativa astruere, & problemata potius, quam dogmata efferre. Proinde neque de *Græcorum* arte musica, cujus vim sentio quam fuerit maxima, neque de illa oris rotundi pronuntiatione, quam tantopere laudatam accepimus, quidquam definire ausim. Interea vero, ne prorsus omnia nescire videar, ea, quæ investiganti verisimiliora videbantur, secutus, adducor ut credam Accentus illos primævos & genuinos, quibus solis appellatio ista (*προσωδιαι*) *κατ' εξοχην* conveniebat, cum arte Musica, quam comitabantur, una intercidisse. Si quos inde a * Grammaticis

* Is. Voss. *De Accentibus Græcanis.* ——— Olim quippe, florentibus etiamnum *Græciæ* rebus, longe alia Prosodiæ & Accentuum erat ratio quam quæ postmodum a magistris reperta & introducta fuit. Non veteres tantum Grammatici, sed & ipsum vocabulum manifeste testatur prosodiam versari circa cantum verborum, ideoque in antiquissima & primaria significatione sic definitur, *προσωδια εστι τονος φωνης προς ὃν αδομεν, prosodia est tenor vocis ad quem canimus.* Hinc facile colligitur non gramma-

antiquioribus invectos compereris, facile intelliges eos, qualescunque demum fuerint, artis metricæ usibus in-

Grammaticorum, sed vero Musicorum olim fuisse officium, notas seu diagrammata prosodica unde cantus cognosceretur, appingere poematis. Cum vero omnis sermo sit veluti cantus quidam, translatum est ad quorumvis etiam verborum pronuntiationem hoc vocabulum: unde demum occasionem arripuere Grammatici, ut accentus musicos suis usibus accommodarent, ad declaranda Tempora & syllabarum Quantitatem. Primus grammaticorum qui accentus istos usurpavit, is, si *Apollonio*, *Arcadio*, aliisque *Græcorum* magistris fidendum, fuit *Aristophanes* literator, circa tempora *Ptolemæi Philopatoris*, & *Epiphanis* . . . . . Usque ad tempora *Antonini* & *Commodi* impp. perstitit nihilominus antiqua & fere integra loquendi ratio: ut opus non fuerit totidem apicibus scripturas onerare, ac posterioribus factum sit sæculis, cessante nempe & penitus collapsa vetere pronuntiandi ratione. Quam recens sit usus apponendi istiusmodi accentus quibuslibet scripturis, hoc satis declarat, quod in nullis Marmoribus, nullis Numismatis, nullis denique Codicibus qui quidem mille vel nongentis annis antiquiores sunt, virgulæ aut apices ulli compareant: unde satis evidenter patet toto intermedio tempore, quod ab *Aristophane* grammatico effluxit, usque ad id tempus, quo accentus adscribi cœperunt, per spatium nempe octo vel novem sæculorum, haud aliis usibus adhibitas fuisse a grammaticis accentuum notas, quam ad erudiendam in arte metrica juventutem. Nec tamen existimandum similem, ac nunc passim recepta est, olim quoque fuisse accentuum rationem; qui enim cantus aut lectio subsistere possit, siquis Homericos versus ita ut vulgo fit, pronuntiet?

Ἠέλιος δ' ἀνόρουσε λιπὼν περικαλλέα λίμνην
Οὐρανὸν ἐς πολύχαλκον, ἵν' ἀθανάτοισι φαείνῃ
Καὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν·

Longe aliter Veteres: sic nempe illi accentus digerebant,

Ἠέλιος δ' ἀνόρουσε λίπων περικάλλεα λίμνην
Οὔρανον ἐς πολυχάλκον, ἵν' ἀθανατοῖσι φαείνη
Καὶ θνητοῖσι βρότοισιν ἐπὶ ζειδῶρον ἄρουραν.

Vera esse quæ affirmo libenter agnoscet is, qui veterum grammaticorum, *Dionysii Thracis*, *Apollonii Alexandrini*, *Ælii Dionysii Halicarnassensis*, *Aristarchi* junioris, & aliorum, quæ supersunt, scripta & fragmenta evolvat. Sed & ex iis, qui omnium manibus teruntur, compilatore videlicet Etymologici magni & *Eustathio*, idem observare est, utpote qui non uno loco testantur, in antiquis exemplaribus & præceptis veterum grammaticorum longe diversam occurrere accentuum rationem ab ea, quæ postmodum placuit. In iis enim monent non scriptum fuisse ἕτοιμον, ἔρημον, τρόπαιον, sed ἑτοῖμον, ἐρῆμον, τροπαῖον. Item non ταχύτης, ταχύτητος, & βραδύτης, βραδύτητος, sed ταχυτὴς, ταχυτῆτος, βραδυτὴς, βραδυτῆτος· & sic in cæteris omnibus, ita ut Accentus veræ & naturali syllabarum semper conveniret

mensuræ

ſerviiſſe, a linguæ *Græcæ* præceptoribus eo conſilio adhibitos, ut leges metricæ & juſta Syllabarum quantitas, &c, qua fas erat, priſtinus Pronuntiationis tonus conſervari poſſet. At vero quid hoc ad illos, quos hodierna ſcriptio exhibet, Accentus? illorum certe cauſa eſt longe diſpar & ratio diſſimilis. Quid enim? num illi in muſicæ vel metricæ ſubſidium advocantur? nihil certe minus: imo vero utrique nihil magis advorſum: nihil utriuſque rationes perturbat magis & peſſundat. —Ecquis demum rogat cui bono fuerint? haud ſane in promptu eſt reſponſio. An ad *αμφιϐολογιαν* diſtinguendam? *ερμαιον αν ειη τουτο γε*· imo vero utilitatis alicujus, ubicunque affulſerit, ſpeciem omnem libenter amplectimur: at profecto rarior erit iſtius beneficii gratia.—Ecquid porro ad orationis ornamentum conferunt? at profecto, ſiquid nos recte digitis callemus & aure, nihil tale demonſtrari poſſe confidimus: ubi enim contra genuinam ſyllabarum vim effertur pronuntiatio, *ευρυθμια* & *ευφωνια* prorſus omnis corrumpitur.

Si porro de Accentuum noſtrorum autoritate inſtituatur diſquiſitio, quid a nobis ſtatui oportet? haud certe illam Antiquitas veneranda aſtruit: haud diuturnus Uſus confirmavit; ſed nec ulla adſtipulatur Ratio. Non illam Marmora, non Numiſmata, non Codices ve-

menſuræ . . . . . . Illud firmum fixumque manet, Veteres Accentuum habuiſſe rationem longe diverſam a ſpuriis iſtis accentibus, qui hodie in uſu ſunt, quos ſi admiſeris, nunquam efficies ut vel cantus, vel forma carminis ſibi conſtet. At vero, ſi antiquos revoces accentus convenientes veræ & antiquæ ſyllabarum quantitati, tantam numerorum ſenties ſuavitatem, ut vel ſola carminum lectio cuicunque hodierno cantui invidiam poſſit facere.

tustiores uspiam agnoscunt. Scias adeo istiusmodi σημεῖα fuisse ævi sequioris figmenta. Ecquis autem illorum, qualia nunc adhibentur, originem accuratius investigare cupit? — reperiet profecto eam, qualis utplurimum gentis spuriæ & adulterinæ esse solet, indefinitam prorsus & obscuram: haud sane a *Græciæ* florentis temporibus repetendam, sed potius e sæculis deterioribus, imo forsan & ipsis Barbariæ fæcibus depromendam; & tum demum ab hominibus grammaticis excogitatam & inductam, quando imperio *Romano* simul & *Græcæ* linguæ studio jam indies consenescente; neque musica theatralis neque ars metrica jam amplius incorrupta consisteret: tum demum, cum populi auribus male affectis cantores nova quædam lenocinia afferrent, &, nulla quantitatis ratione habita, nescio quo plasmatum & frequentamentorum artificio syllabas temere discerperent, protraherent, confunderent. Perversa hæc modulatio aliquando etiam & pronuntiationem popularem vitiavit: e Theatro ad grammaticorum Scholas seducta transiit corruptela; ipsa rei infcitia novam peperit artem. Cavebant quidem illi ne *Græca* prorsus intercidererent, ne, tanquam in regione ignota, sine duce, sine lege juventus rudis vagaretur; atque adeo, nequid ipsi de re incerta ignorare viderentur, pronuntiandi normam quandam inconcinnam & abnormem ex idiomate forsan vernaculo hinc inde conflatam, & ad aurium præjudicia accommodatam instituerunt. Usque adeo a fautoribus suis violata & deformata est hæc lingua. Non jam amplius *Graiis* ore

rotundo

rotundo Muſa dedit loqui, ſed obſtupuit illico, tralatitios mirata ſonos novamque plane proſodiam, &c, ut ita dicam, Barbaros viciſſim de *Græcia* triumphantes.

Licebit ſaltem rei dubiæ atque obſcuræ originem indaganti quaſlibet pro re nata conjecturas efferre. Verum enimvero, utut hæc fuerint, haud ſane lubens committam ut apices iſti, quos vocibus *Græcis* appingi videmus, pro genuinis agnoſcantur; aut ut linguæ, qua nihil arte elaboratum magis perfectumque excogitari poteſt, pronuntiatio ad normam, quam modo dixi adeo abnormem & inconcinnam, componatur. Quidni jure indignemur, quoties ordinem illum, quem vel natura vel diuturnus uſus præceperat, perturbari & inverti videamus? Ipſæ mehercle ſyllabæ injuriam ſibi illatam queruntur: ſonos peregrinos diſſonoſque *Atticæ* aures neutiquam patiuntur; imo res ipſa reclamat. Quid enim incongruum magis abſonumque, quam ut lingua eadem, & quidem τεχνικωτατη a ſeipſa diſcreparet? ut eâdem in ſyllabâ tonos reciperet contrarios, aliud ſonaret in oratione ſoluta, aliud in carmine? quid? ſonorum quantitatem & qualitatem, extenſionem, &, ut ita dicam, intenſionem minime diſtingui? ea, quæ natura uſuſque diſcreverat, promiſcue confundi? Non iſthoc Dialecticorum leges tolerant. Quid denique? Dactylos medio in curſu retardari, Spondæos præcipitari, corripi demum longa, brevia produci * — hoc-

* Libet hac de re pauca quædam ex *H. Chr. Henninii* Ἑλληνισμ. Ὀρθῳδ. tranſcripta exhibere, p. 50.

Quid enim ineptius, quam inſumere in *natura longis* ſyllabis morulas breviſſimas, ob ſolam virgulam obliquam hic illic pictam? cum tamen omnes

eine credibile est aut memorabile? — nemo profecto, nemo sanus *Græcos*, homines aurium ad fastidium usque delicatarum, in pronuntiando usque adeo βαρβαρίζειν potuisse existimabit.

Interim haud ignoro, quantitate salva adhuc & incolumi, vocis tonos variari posse; neque hac forsan in parte *Græcos* veteres permagnum quiddam pronuntiando efficere potuisse negaverim; & is sane erit mihi magnus Apollo, quisquis antiquam illam & genuinam προσῳδίαν restituerit: — at vero, cum ab accentoribus hodiernis nihil tale effici videam, desines mirari, si, quas illi præscripserint, legibus obsequium servile non præstiterim. Imo vero facile patior Grammaticos suo uti judicio, & institutiones, unde utilitas aliqua percipiatur, inculcare: itidem facile patior Typographos usitatas vocibus *Græcis* virgulas appingere, & solitis oculorum præjudiciis satisfacere: verum ea interim lege, ut nota syllabarum quantitas non violetur; ut Metri Rhythmique rationes a pronuntiantibus incorruptæ serventur.

Quolibet, inquies, in vocabulo propriam quandam sedem habet Accentus: habeat sane; at qualem? &

omnes, quotquot unquam extitere apud *Græcos*, Grammatici, ad unum omnes, liquidissime profiteantur, τα Η & Ω διφθογγους *natura sua* esse *longas*, nec ulla ratione fieri breves. Quid est aliud *natura esse longum* quam morulam longiorem consumere in pronuntiatione? Atqui per Accentum vulgo videmus etiam longissimas syllabas præcipitari, & volubili lingua corripi. Pronuntiet quis secundum morem vulgarem ὑπέχαυστον· aurium horror docebit eum veloci lingua transiliisse το ΚΑΥΣΤ, quod quam abhorreat, non dicam, a suavitate modulationis (*Græca* enim lingua suavissima habetur) sed a natura διφθογγου, (id est soni duplicati) nemo non, si modo non sit surdaster, audit.

quibus

quibus legibus definitam? quid? ἄνθρωποι, ἀνθρώπων &c.— Ecquis eadem in voce talem pronuntiationis discordiam tolerari potuisse crediderit, &, ubi par utriusque est ratio, talem ανωμαλιαν? Utcunque demum de argutiis hujusmodi statueris, at certe nolo propterea, ut illud, quod immobile esse debet, loco moveatur; nolo, inquam, syllabarum quantitatem mutari. Siquis vero interim apices istos, ut scriptionis ornamenta, aut disciplinæ alicujus utilis instrumenta, adhuc retinendos putet, haud sane repugno; modo idem simul & Quantitatis notas vocibus affigi curet: quod ipsum si fecerit, nullus dubito, quin postmodo, cum pronuntiantis vocem in diversa simul & contraria distrahi senserit, præ perplexis hæc simplicia nostra, præ incertis certa amplectatur, & Grammaticorum de Accentibus præceptiones operosas haud invitus dediscat. Quod superest, quoniam hac in parte discentium commodis præcipue consulendum puto, Lexicographis futuris id negotii commendare liceat, ut, quod in *Latinis* quibusdam factum vident, id ipsum in *Græcis* aliquando præstent; ut scilicet, literatorum operis in hanc rem collatis adjuti, quolibet in vocabulo syllabarum Quantitatem dubiam notulis quibusdam inscriptis definitam exhibeant. Ita fiet ut Tyro noster ad Metra intelligenda aliquanto paratior accedat, & in pronuntiando illam regularum, quæ vulgo ingeruntur, fallacium opem minus desideret.

Age vero, recognoſce jam mecum illam, quæ in academia *Cantabrigienſi*, duobus abhinc ſæculis, de linguæ *Græcæ* pronuntiatione excitata fuit, * controverſiam memorabilem. — Rogas quorſum ſpectat hujuſce rei hic a me injecta mentio? ut nempe intelligas nihil adeo abſurdum & incongruum excogitari poſſe, quod ſciolorum arrogantia venditare, — aut imperitorum hominum decepta credulitas arripere — aut imperantium autoritas præcipere — aut denique inveterata conſuetudo confirmare non potuerit. Utrinque diſputantium mira erat vehementia: errori fœdiſſimo non patronus defuit, ſed nec oppugnator. Verum aliquando tandem autoritatem vicit ratio, conſuetudinem antiquitas: & de Cancellarii pervicacia triumphavit Prælectoris Academici facundia, veteriſque *Græciæ* linguam ſervitute quadam nova oppreſſam aliquando liberavit. Quamobrem & nobis, uti ſpero, venia facilior concedatur, ſi, dum ad rei veritatem propius accedere ſtudemus, a conſuetudine vulgari penitus receſſerimus; cauſæque non abſimilis defenſioni ſimilis aliquando exitus reſpondebit. In diſputando non opinionis præjudicatæ gratiam, ſed rationis momenta quærimus; & in re philoſophica cum paucis recte ſapere, quam cum vulgo fidenter errare malumus. Quid ergo? quid ſi deſinamus aliquando errorem agnitum tueri, nec vereamur, quod rectum ſentimus, id ipſum conſtanter defendere? Proinde, ψευδοπροσῳδίαν iſtam, &,

* Vide *Stephani Wintonienſis* & *Joh. Cheki Cantab.* de hac re epiſtolas.

quos,

quos isti apices affixi designant præcipiuntque, Accentus, utpote a *Græcorum* indole prorsus abhorrentes, e pronuntiatione tollendos statuamus: & antiquitatis genuinæ vestigia, imo & *Etonensium* nostrorum disciplinam, secuti, jure cautum habeamus ne legentis ab oculo ad aurem linguamque transeat ille familiaris & præjudicatus error: nequid porro in pronuntiando contra syllabarum germanam vim & quantitatem peccemus, sed ut Rhythmi Metrique leges inviolatæ conserventur: ut denique sublata isthac, quæ jamdiu inveteravit, κακοφωνιας consuetudine, justior quædam ευφωνια, &, qua fas est, ὁμοφωνια restituatur. Hoc adeo, quod omnium fere tacito quodam judicio votisque expeti senserim, fusius explicandum & astruendum duxi: plura scire qui cupit, autore utatur *Is. Vossio de Poematum cantu & viribus Rhythmi*, &, qui deinde hac de re disertius scripsit, * *Hen. Chr. Henninio.*

Hæc de *Græcis*, & plura quidem fateor quam instituti ratio postulabat. Vereor sane ne in offensiones aliquas incurrat quisquis aut opinionibus præjudicatis aut consuetudini receptæ adversari ausit; sive nova quædam invehere sive obsoleta revocare videatur. Rec-

* Ελληνισμος Ορθωδος· 8vo Edit. seu, *Græcam* linguam non esse secundum accentus pronuntiandam, Dissertatio paradoxa. In qua, ostensa accentuum novitia origine, ac diversissimo usu, quem alium obtinuere apud primos illorum inventores, alium apud sequiores eorundem frequentatores, evidentissime docetur *Græcam* linguam secundum accentus, ut vulgo ab omnibus hucusque fieri consuevit, pronuntiandam non esse: cujus pronuntiandæ vera genuina & antiqua ratio firmis & inconcussis argumentis asseritur, & ab exceptionibus, quæ contra eandem opponi possent certissime vindicatur. — *Habes quæ libelli titulus pollicetur: vide porro, quæ in epilogo rei summam repetens scriptor se præstitisse confidit.*

 tane

Εω τας αυτων περι τα της συνειδησεως λυσεις και δεσεις ὡς επι το πολυ αυτοβȣλȣς ȣσας και παρανομȣς· οἱον το αυτων περι το Κορβαν αντι τȣ τιμαν και ωφελειν τȣς τοκεας επιδεικνυν αυτων το αστοργον και θεοσεβειαν ἁπλως ασεβη· ὁθεν τοις μεν αυτων ναοις συνεγειρεται αναθηματα παμπολλα και δωρα αδωρα, και ὁπλως πλȣτιζεται ἡ πανδοχος μητηρ Εκκλησια. Εω τας περι το θειον λεπτολογιας και ψευδοσοφισματα, και το εν ορκοις επιορκιον, και εν πιστοις απιστον· — και δη το * δημαγωγικον και το στασιαστικον και τοις αρχȣσιν εναντιως διακεισθαι· το τελευταιον δὲ, ὡς συντομως και συλληβδην το παν επιδειξαι, εννοησον τας παρ᾽ αυτοις των Πρεσβυτερων Παραδοσεις, τȣτο το παμπονηριας αρχηγικον συστημα, ιδȣ τȣτονι τον παρανομον νομον τὴν τȣ Θεȣ εντολην ακυρȣντα· αλλ᾽ εννοησον ἁμα τȣ Θεȣ περι αυτων μαρτυριον ελεγχτικον, Αλλα ματην με σεβονται, διδασκοντες διδασκαλιας ενταλματα ανθρωπων.

Συ δὲ τι ποιων ταυτα παντα κατενοησας εροιτο τις αν; — αλλ᾽ ω ᾽ταν μεμνησαι ποτ᾽ ακȣσας περι Πελοπιδȣ, ὡς οιμαι, η Ισμηνιȣ τȣ παρα των Θηβαιων προς τον Αρταξερξην πρεσβευοντος; δεον γαρ αυτῳ περι των κοινων συμβȣλευοντα μεγα τι διαπραττειν

* V. Joseph. Ed. Hudſ. p. 587, 588, 753 &c.

και

και τυτυ γ᾽ ἑνεκα τον μεγαν Βασιλεα προσκυνειν (ὁπερ ἐςι παρα τοις Περσαις νομιμον, τοις δ᾽ αυ Ἑλλησι βδελυκτον) εκεινος γ᾽ ουν τι εποιησεν; ου μεν αξιων ες τουμφανες τον Βαρβαρον προσκυνειν ουδ᾽ ὁμως βουλομενος των πραγματων ατυχειν μηχανημα εξευρε τοιουτο· ὡς εγγυς εςη παρων του δακτυλιου επι το δαπεδον ουκ απρονοητως εκπεσοντος ὡς αντιλαμβανων ανεκυψε, και ουτωσι δη τουτι Περσην ελαθε παρανομων και σωζων ἁμα το της πολεως αξιωμα.

Περι μεν ουν των Πουτιφικιων ταυτι μεν ειρησθω ταυτα· Εγω δε εκ της παρ᾽ αυτοις αποδημιας ἐν τουτο κερδαναι δοκω ὁτι εις την πατριδα επανειμι φιλικωτερως προς τα ἡμετερα διακειμενος.

JUVENTUTI ACADEMICÆ

Literarum Græcarum ſtudioſæ

S.

EN vobis aliud in duplici ſcriptionis genere exemplum! hoc etiam vobis ita placere cupio ut etiam proſit. Haud ſane eſt diſſimulandum Epiſtolam hanc, quam aliquando tandem publici juris facio, fuiſſe à me annos abhinc retro circiter XXIII ad hominem Αττικωτατον Græce, (hoc erat quod volui) &c, quoad potui, Κριτικωτατον Critice conſcriptam: ad hæc perpauca quædam illius exemplaria amicorum quorundam opera in lucem quaſi furtim prodiiſſe; ita ut haud integrum mihi fuerit, aut, quæ privati erant juris, in omnium ora manuſque emittere, aut, quæ jam erant emiſſa, prorſus revocare. Atque adeo, quod de libello quodam ſuo ad Socratem in Parmenide Zeno, idem ad me transferre licet, à re haud alienum mea. "Δια τοι-
"αυτην δη φιλονεικιαν ὑπο τȣ νεȣ οντος εγραφη, και τις αυτο
"εκλεψε γραφεν ὡςε ȣδε εμε βȣλευσασθαι εξεγενετο ειτ' εξοιςεον
"αυτο εις το φως ει τε μη· ταυτη ȣν λανθανει σε, ω Σωκρατες,
"ὁτι ȣκ ὑπο νεȣ φιλονεικιας οιει αυτο γεγραφθαι αλλ' ὑπο πρεσ-

"ζυ]ερυ φιλοτιμιας." Utut vero hæc ſint, quia pauca admodum in hoc ſcribendi genere exempla reperiri ſentio, ideo libentius hæc noſtra qualiacunque vobis impertio.

Græca quidem cum Latinis ſimul exhibenda cenſui, ut, quæ diſciplinæ communis cognatio quædam conjunxerat, linguæ utriuſque ſtudia communi opera ſimul excolenda commendarem. Imo vero, ſiquid adhortationis noſtræ aut exempli valuerit autoritas, adoleſcentes Academicos ad literarum præcipue Græcarum monumenta revocari velim; ut in hoc laudis genere priſtina Oxonienſium conſervetur fama, nec in Athenis hiſce noſtris deſiderentur unquam τα Ατ]ικω]ατα.

—— Vos exemplaria Græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna!

En vobis quod Flaccus veſter haud fruſtra præcipit! Ecquid enim illis reperitur uſquam aut uberius, aut elegantius, aut denique εμφατικωτερον? Et vos quidem in hac palæſtra Græca ita verſari jubeo, ut lectionibus aſſiduis accedat inſuper frequens ſtyli exercitatio: ut non modo induſtriæ, verum etiam aliqua ingenii quæratur laus. Quod Famianus Strada in Latinis, idem ego in Græcis faciendum arbitror. Ad ſcriptoris cujuſlibet laudati exemplar elaboretur ſtyli conformatio: in ſcriptionibus, perinde ac in moribus, quod ſibi quiſque admirandum proponit, id ipſum æmulando aſſequi ſtudeat. Ingenium alet hæc æmulatio; acumen criticum excitabit; & vera mentis judicia confirmabit. In

hoc potissimum laudis curriculo, illud quod omnium animis est insitum, exerceatur το μιμητικον. Mira enim est in omni re imitationis recte institutæ vis; virtutes alienas ad se transfert; ad pulchri sensum atque sapientiam quodammodo inopinantes compendiaria ducit via: quod usque & usque legentibus minus feliciter inculcat præceptionum Grammaticarum labor & mora, id ipsum felicius citiusque sibi tradit scribentis stylus: elegantias Atticas, quas experiundo sensit, dum probe imitatur, facit suas; in alienæ laudis societatem admittitur; &, ut ita dicam, inquilino tali, cujus virtutes cognatas agnoverint, civitatis suæ jus non invidebunt Attici.

Quare subit identidem haud sine querela mirari, quod in institutionibus Græcis, styli, quem tamen Cicero ipse agnoscit optimum dicendi magistrum, rarior adhibeatur exercitatio: & profecto cur non in his, perinde ac Latinis, locum habere debeat, nullus video. Re ipsa intelligetis nec inutilem esse illam nec injucundam: intelligetis porro illud opus quam non sit arduum & difficile quod facili negotio vir otiosus expediverit. Quæ adeo hac in parte jam olim præluseram, vestros in usus pauca quædam libenter emitto, plura itidem, si vestra postulavit expectatio, emissurus. Et sane prout in superioribus id egeram ut styli Xenophontei colorem & χαρακτηρα aliquatenus exprimerem, utpote hominum, locorum, rerumque descriptionibus accommodatiorem; ita in disquisitione Philosophica Platone usus sum dicendi magistro. An id, quod vo-

lui, fuerim aſſecutus judicabunt homines Critici; quorum fortaſſe cenſuram videor mihi haud fruſtra provocâſſe, qui ipſe neſcio quomodo hac in Epiſtola Critici perſonam induerim. Erat quidem illa ad Joh. Gul. Thomſon jam olim ſcripta, juvenem doctiſſimum, gente Boruſſum, in literis Græcis & philoſophia præcipue Platonica verſatiſſimum; qui, cum hortatu meo Academicorum, quorum ordini fuerat aſcriptus, gratiam opere quodam publico demereri ſtuderet, Platonis Parmenidem, qui dialogos inter omnes θεολογωτατος habebatur, edendum atque illuſtrandum ſuſceperat. Atque is adeo, cum pro ſpecioſo Editorum more annotationes adornaret paulo operoſiores, ad eruditionis ſuæ infinitæ oſtentationem magis quam ad Lectoris imperiti adjumentum comparatas, & è Codd. MSS. Græcis ineditis, & antiquitatum philoſophicarum ruderibus materiem erueret pretioſam fortaſſe, at hercle non explicitam ſatis, aut captui accommodatam meo; Ego, qui me e multis unum & prorſus αμυητον profitebar, rogavi tandem ut ακροαματα hæc εσωτερικα & dogmata recondita populariter nobis expoſita daret, atque obſcuritati huic noſtræ aliquod lucis affunderet. Atque adeo hac, quam vides, epiſtola hominem aggreſſus ſtimulos ſubdidi, & pene convitiis provocavi, ut philoſophiæ Platonicæ ſubtilitates metaphyſico-theologicas diſſertatione quadam præmiſſa fuſius explicaret, & Parmenideæ demum hujuſce de Ideis doctrinæ ſyſtema integrum exhiberet. Id quod fecit ſedulo; atque vobis Prolegomena elaboravit ſua, induſtriæ ſingu-

laris

laris & ingenii monumentum haud leve, quæ philoſophi mentem aperire potuerint, & reconditioris illius doctrinæ ſtudioſis ſubſidio eſſe & adjumento.

Siquis porro me in adhortando & increpando nimia uſum παῤῥησίᾳ cenſuerit, idem ſciat de hominis amiciſſimi fama ſollicitum pro familiaritatis jure paulo liberius me egiſſe; &, eo quidem conſilio, ut, qui forte inciderint, corrigi aut ſuppleri poſſent defectus, &, quæ poſtea alii reprehenderint, errata comperirentur pauciora. Ad hæc ſciat parcius hæc à me notata fore, niſi in eodem homine plura agnoviſſem laudanda, et hanc cenſuram noſtram tantum abfuiſſe a malignitate, quantum ab adulatione abſunt encomia.

Hæc præfanda duxi, tum ut virum de Academia, de Republica literaria benè meritum præconio debito cohoneſtarem, tum ut opuſculum hoc, tanquam ſobolem, Parente ſuo orbatum, publicæ Fidei atque Patrocinio commendarem.

ΘΩΜΨΩΝΙ

Χαιρειν και ευπραττειν.

ΠΟΛΛΑ μεν ηδη και πολλακι περι Παρμενιδȣ γεγραφως, παρα δε σȣ ακηκοως ȣδεν, θαυμαστον τι και άμα νεμεσητον πεπονθεναι δοκω. Συ δ', ω βελτιστε, τι παθων έως αρτι μηδεν δι' επιστολης αποφθεγγεσθαι ηξιωσας; αλλ', ώσπερ τις αχθομενος και αγανακτων, καθησαι, ȣδ' απαιτȣντι φιλῳ φιλικον αποφηνας ȣδεν, ȣδε δια φιλονεικιας προκαλȣντι ανταποκρινομενος ȣδεν.

Ει δε πως εξημαρτηκα τι τον Ατ[τ]ικωτατον ανδρα τῃ των Αγγλων πατρῳα και βαρβαρικῃ διαλεκτῳ προσφωνησας, μεταβαλων ηδη σμικρα ατ[τ]α Ελληνιστι γραφειν επεχειρησα, βȣλομενος σοι χαριζεσθαι, ὡς εδυναμην, καλλιστα.

Ει δε πως απηρεσα σοι ποτε γραφων, άτε τα παρα σȣ εξημαρτημενα διελεγχων, και κατορθȣν αξιων, ευ ισθ' ὁτι ȣτως απαρεσκων σοι ȣδεποτε παυσομαι· Ακαδημικος ων κολακευειν ȣκ οιδα· τοιγαρȣν, καθαπερ προτερον, ώσαυτως και νυν διατελω γραφων· τα μεν επιμεμφομενος, τα δε και διακελευομενος, τα δε παντα, καθαπερ επρεπεν Αγγλον οντα, παρρησιαζων, και φιλον οντα, τα βελτιστα συμβȣλευων.

Αγ

Αγε δη επι της προτερας ὑποθεσεως επανελθων, Ει εξηγησομαι σοι εις το φως τουτο το Πλατωνος βιβλιον, σκεψομενοι ὁπως αν βελτιστα διαπραχθειη το εργον τουτο, και τι δη ποτε σοι συμβησεται προς τε σαυτου φιλοτιμιαν, και Παρμενιδου φιλοσοφιαν, και δη των Κελτικων ἀπαντων δοξας.

Και μην περι σου ὁπερ προς Σωκρατην ποτε ὁ Παρμενιδης, τουτο εικοτως αν λεγοιμι· ω Θωμψον, ὡς αξιος ει αγασθαι της ὁρμης της επι τους Πλατωνος λογους· αλλ' εμοι μεν δοκεις αμηχανον τινα πραγματειαν πραγματευομενος, ὁ τα αοριστα διοριζειν, και τα αστατα βεβαιουν, και τα μυστηρια αποκαλυπτειν πειρωμενος· ὡστε πολλακις εμε δεισαι περι του φιλου, μη πως εις αβυθον τινα φλυαριαν εμπεσων τον νουν διαφθαρη. Εγω μεν γαρ τουτονι τον διαλογον αναγινωσκων, και κατανοων ἑκαστα, ου σαφως καταμεμαθηκεναι δοκω ποια αττα εστιν, ἁ βουλονται οἱ λογοι, αλλ' εις απεραντον τινα αμφισβητησιν και απορταν φερομενος περιπλανωμαι· ὁποτε δ' αυ το γε σον συγγραμματιον, ὁπερ βοηθειαν τινα τοις Παρμενιδου λογοις ὑπεθεσο, μετα σπουδης αναγινωσκω, ουκ οιδ' ὁπως, ουδεν ετι μαλλον προυκοπτω, αλλ' αει εμε επιζητουντα λανθανει και διαφευγει ἡ αληθεια· ὡστε ταυτο πεπονθεναι εμε, ὁπερ και ὁδοιπορος τις, ὁς δια τα ὁδων δυσβατα και ατριβη πορευομενος, επετυχεν ισως ανδρι τινι ὁμοιην πλανην πλανωμενῳ, αλλα δια το πορρωτερω πεπλανησθαι των χωριων εμπειροτερῳ δοκουντι, περι μεν της περιχωρου πολλα σεμνως διηγουμενῳ, αλλ', εφ' ἁ βουλοιτο, ορθως αφικνεισθαι ου δυναμενῳ. Και σοι μεν εγω δια τα φιλοσοφιας Πλατωνικης δυσνοητα ἡγεμονουντι ακολουθησας, αλλο τι σαφες και βεβαιον εὑρηκεναι δοκω, η ὡς αδηλα εστι παντα και παραδοξα, αινιγματων τε και μυστηριων αναπλεω;

Αλλα συ μεν επι τουτῳ μαλιστα σεμνυνεσθαι δοκεις, ὡς μεγα τι διαπραξας, ὁτι σοφιστων παμπολλων ὑποθεσεις παραλληλας

και

και μαρτυρια συλλεξας Φιλομαθιας τινος αξιεπαινε, και Φιλοπονιας αληθως Γερμανικης παραδειγμα θαυμαςον αποφηναι· αλλα τι τωνδε οφελος; τι δε χρησιμον απεδειξας, παιδιαν ετω πραγματειωδη παιζων, Κριτικῳ ανδρι αυτην τε Πλατωνος γνωμην ακριβως ἐξεταζοντι τινα βοηθειαν παρεχει ἡ σοφιςων απροσδιονυσος λεπτολογια, και αδολεσχης φλυαρια; τι δ᾽ εν σοι ποιητεον συμβελευω; τετο δηλονοτι ὁπερ περι Σωκρατες απομνημονευει ὁ Πλατων, ευ μεταθειν και ακριβως ιχνευειν παντα τα λεχθεντα· τον Πλατωνα ἑαυτῳ ἑρμηνευτην παραςησαι, και λογισμῳ τῳ ελευθερῳ μαλλον η τοις Λεξικογραφοις, χρησαμενον, τα Φιλοσοφιας Πλατωνικης ιδιωματα τεχνικα διασαφηνιζειν, περι δογματων δε μαλλον διαλογιζομενον, η περι ῥηματων σκιαμαχεντα παντατασι τον αυτον τε Πλατωνος νεν αποκεκαλυμμενον επιδεικνυναι. Τετ᾽ εκπονειν χρη τον ανδρειως Φιλοσοφεντα. Ετι δε τετο κατανοησον, ὁτι εγω, καθαπερ και οἱ πολλοι, ιδιωτης τις ειμι, Οιδιπες δ᾽ ε. Διο και επερωτωντι μοι σαφως εκδιηγεισθαι χρη τι ποτ᾽ εςι το πολυθρυλλητον τετο το ΕΝ, τι δε και τα ΠΟΛΛΑ, και ὡσαυτως εφεξης ἑκαςα, τα εν Παρμενιδε ὑποτεθεντα παραδοξα οντα και δυσνοητα. Τι γαρ αν ποιησεις Φιλοσοφιας περι; πη δε τρεψαιτ᾽ αν αναγνωςης αγνοεμενων τετων; Συ μεν εν, ω Λεξικογραφων εξεταςα Φιλοπονωτατε, σαυτον εμοι λεξικογραφον τινα παραςηθι και ἡγεμονα διδακτικον.

Προς τετοις, εχ ἡκιςα σε αποβλεπειν δει προς τας Ακαδημικων δοξας· οἱ γαρ πολιται μοι μαλα Φιλοσοφοι τε εισι, και ακηκοασι δη ὁτι ξενος τις εκ Βορεασιας πολλα μοι εντετυχηκε, δεινος τις νομιζομενος προς τα Ελληνικα· κἀγω μεν αυτοις σπεδαιως ταυτα συνωμολογουν, πολλα περι σε και μεγαλα ὑπισχνεμενος· ὡςε εικοτως αν δοκειν εμε ε μονον τη αλλη σε φιλιᾳ ῳκειωσθαι, αλλα και τῳ εργῳ τετῳ· ευ γαρ οιδα, ει σοι τετο κακως συμβησεται,

βησεται, ὁτι κᾀγω, ὁ την περι σε ελπιδα εψευσμενος, και δη πολιτας παμπολλους δι' επαινων εξαπατησας κινδυνευω γελωτα παρ' αυτων και ονειδισμον οφλισκανειν. Αλλ' ουκ εστι ταυτα; ουκ εςαι· αλλ' ὁμως, ἁτε εν κινδυνῳ οντα προνοειν δει ἑκαςῳ τα συμβησεσθαι δοκουντα, και δοξα προκαταλαβειν, ὁπως αν ευκοπωτερως δυνωμεθα τα παντα επι βελτιςον διορθωσαι. Ουκουν εικοτως αν συγγνωμην εχω προς σε περι πραγματων παρρησιαζων και επιτιμων τα πολλα, και ενιοτε σοι ονειδιζων την δυσαναπειςον φιλαυτιαν και ὑπερηφανον τινα αμελειαν. Πως γαρ ουκ αχθομαι ιδων σφαλματα τυπογραφικα τοσαυτα, ὡςε ατοπον τι πεπονθεναι Παρμενιδην, ἑαυτῳ ὁμοιον τε και ανομοιον γεγενημενον; εν δε τωγε τῳ συγγραμματι δογματων αλλοτριων συλλογην τοσαυτην, και παρασκευην ανωφελη, ὡςε δοκειν σε τοις λεγομενοις βοηθειαν ουδεμιαν ουδε το φως επιχευσαι, αλλα μειζον ετι σκοτος και βαρος προσθειναι οὑτω ματαιως πολυπραγμονουντα. Βουλομην μεν αν τα σαυτου δογματα αποδειξαντα μαλλον η αλλοτρια συλλεξαντα ουτω τον Παρμενιδην εις το φως εξενεγκεναι. Αλλ' επειδηπερ ουχ οἱον τε εςι το πεπραγμενον ηδη απρακτον αποκαθιςαναι, το λοιπον σκεπτεον σοι οἱος ηδη προτιθεται αγων· τα ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ μελετας, ωφελειας τινος πολλης ἁμα και πραγματειας εργον· αυτων δε σκοπος τις εςιν; ουτος δηλονοτι, τας Παρμενιδου ὑποθεσεις φανερως εκδιηγεισθαι, και δη Πλατωνικης περι Ιδεων φιλοσοφιας τα ασαφη δοκουντα και δυσνοητα διακρινομενον σαφηνιζειν· εν τουτῳ γε μαλιςα σοι επιμελητεον εςι· τουτο κεν ορθως διαπραξαντι σοι μεγαλη τις Ακαδημικων ευνοια, και χαρις, και επαινος εικοτως αν ἑποιτο.

Εγω μεν και Χλωροδιος Ακαδημιας απαλλαγεντες εις τους εν Βουκλανδιᾳ βαρβαρους απεδημησαμεν κακει μετα βουκολων και

ἱπποφορβων, και ποιμενων, (δύο ποιμενε λαων) δωδεκαταιω ηδη κατεμειναμεν· και αρτι μεν νυκτας διατριβομεν αληθως Αττικας· παρων γαρ ἡμιν τυγχανει, ὁ εκ της Δανιας, Μεγας Κρυσιος· εκ αηδως και χρονον διαγομεν περιπατουντες, ἑζομενοι, και μεταξυ τε πινειν και διαλεγεσθαι πολλακι τε Θωμψωνος μεμνημενοι. Και νυν δη, ὡς ορας, παυομαι χαλεπαινων, επι το τερπνον επιστρεφομενος· αλλα τετο το επιτιμαν σοι, διελεγχειν, και συμβουλευειν νομιζε εμης της προς σε ευνοιας σημειον απεχεστατον. Τελος δε, περι εμε, ὡς φιλοξενε τινος, και ανδρασι σοφοις κἀγαθοις, αφ᾽ ὁποιης δηποτε χωρας αποδημεντες προσελθωσιν, ευεργετειν προθυμεμενε οὑτως γινωσκε, και δια τετο τῳ Θωμψωνι φιλου οντος.

SENTIO hâc in parte præmuniendam esse mihi orationem, quam jam olim præter scribentis spem atque consilium in quorundam offensiones incurrisse videram. Sentio quam difficile sit Criticorum hominum fastidiis satisfacere; immò & præ nimio placendi studio non displicere. Utut verò hæc fuerint, pro certo scias nihil pro animi malignitate, aut obtrectationis studio dictum excidisse, verum singula, quæ quidem non sine risu miranda occurrebant, ab hospite rudi adhuc & elegantiarum Bathoniensium *imperito,* κατα το φαινομενον, *pro eo qui tum erat rerum colore descripta exhiberi. Vides adeo rebus de levibus prolusionem levem tenuemque, haud sane Petronii cujusdam Satyricon, sed neque salem aut styli elegantiam; desideratur certe illa ingenii Petroniani vivida vis & ubertas, quæ in locorum rerumque descriptiones liberius se effundens frigidæ nugarum historiolæ condimentum quoddam & leporum gratiam afflaret. Quid ni autem in tantâ ineptiarum celebritate scribenti itidem liceat impune ineptire, innocuo verborum lusu gaudere, atque animum pictura pascere inani? Proludere volui, non philosophari, & quidem mallem cum riden-*

tibus una ridere, quam cum Homine Critico fruſtra ſapere & ringi, & nodum in ſcirpo quærere. Hanc modo, quam Epiſtolarum recipit patiturque familiaritas, licentiam mihi indulgeri cupio. At ſatis mihi placeo, ſi noſtra hæc qualiacunque tibi, Lector benigne, aut uſui fuerint aut oblectamento.

ITER

BATHONIENSE.

CORN. ÆMIL. S.

TANDEM aliquando valere vos jubeo, male officiosi *Bathonienses*, nobile juxta ac ignobile vulgus, & quicquid est ineptiarum elegantiorum. Jam tandem aliquando domum redeo uxorius ille exul, hocce meum, quicquid est, montani ruris & mihi me reddentis agelli, quàm libenter revisens! Quàm juvat ex urbano strepitu & mundi plane muliebris inani pompâ in hanc regni mei vegetabilis tranquillitatem recedere, per hortorum amœnitates curis vacuum expatiari, & quasi postliminio restitutum vitâ priore frui! Hîc videor ego mihi tanquam in *M. Tullii* Tusculano paulisper commorari, ibi hominum doctissimorum colloquiis interesse, & cum iis unà philosophari. Subinde porrò *Flaccum* tuum mihi adhibeo, rusticantis comitem longe jucundissimum; juvat ingenii sive lascivientis lusus elegantissimos, sive philosophantis gravitatem & argutias admirari, & cum illo unà ridere simul & sapere.

Interea

Interea quàm mihi plaudo hæc qualiacunque circumſpiciens,

——manuum monimenta mearum,
Arboreos late fœtus, & amœna vireta,
Hortenſis tugurî congeſtum ſtramine tectum,
Dulce domicilium ſcribenti, dulce legenti.
Hîc tacitus meditor quod iniquas pectoris ægri
Tranquillet curas, & me mihi reddat amicum.

Subit interea Horatianum illud à re haud alienum meâ.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, & tecto vicinus jugis aquæ fons,
Et paulum ſylvæ ſuper his foret—hic ego, *Flacce*,
Et vivo & regno tecum; ſimul iſta reliqui
Ad cœlum quæcunque ferunt rumore ſecundo
Semiviri Nymphæ, fœmineique Viri.

Thameſis ripas prope *M . . . a*
Sit meæ quondam requies ſenectæ,
Sit modus laſſo pedis, & caballi,
Remigiique!
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus——

At mihi jam illico *Cynthius* aurem vellit, & incompoſitæ orationis viâ ulterius divagantem *Flaccus* deſtituit.

Ergo

Ergo ad me redeo, quem nosti aliquandiu *Bathoniensem*, urbis urbanissimæ hospitem inurbanum. Atque hîc ego Te videor videre nequiter illudentem multa sciscitari, & cum risu mirantem expostulare, "Heus, "mi Amicule, siccine è Monachorum claustris, è silentio & solitudine, siccine ex obscuri ruris otio & "squalore in hominum bellissimorum celebritatem & "frequentiam, in muliebres cœtus ornatissimos, & "quicquid uspiam reperitur splendoris & elegantiæ? "siccine prodis illico attonitus & ignotus hospes? — "isthæc intuenti qui tibi erat oculorum obtutus? qui "sensus? quæ mens? ——

Quin Tu, si lubet, finge modo quempiam ex intimâ *Bœotiâ* in fabulosam illam regionem Spencerianam subito delatum, ibi ædium gemmis auroque micantium aliquandiu hospitem, Equites inter Virginesque regias, imo Reges ipsos versantem: Qualem tum credis esse hominis sensum, cui jam stupor accessit plane novus, spectaculi singularis novitate commoto? — En *Bœotius* ego vester! at certe non *Oedipus*.

Sed eccum! gregaria inter capita longe spectabilis eminet *albescens Galerus*. Procul, O procul este, cordati, & quicquid est sapientiæ severioris! En Theatrum ingreditur Archichoragus ipse, egregius ille morum Censor, decori Arbiter, & ineptiarum Moderator.

Hic vir, hic est, sibi quem monstrari gaudeat hospes!

Hui

Hui vero! — effœtus ille & edentulus ſenex! quid iſthoc eſt hominis? Ubi illa orationis elegantia & lepor aulicus? Ubi illa morum liberalis facilitas & urbana comitas, quæ in deliciarum *Bathonienſium* communi magiſtro requiritur? Vah! durum os! cui ignescit uſque ferrugineus ardor, & ſine verecundiâ rubor immutabilis; inſidetque torvus quidam ſtupor, & hilaritas inficeta. — At, O Diſcipulæ belliſſimæ, quales eſſe Vos dicam, talis cum ſit Magiſter? Sed abſit dictis invidia, & læſæ majeſtatis crimen!

Jam vero undique ad πανδοχειον concurritur: magnum utique magnis ſuper negotiis reipublicæ concilium celebratur. —— Accedo è multis unus. Verum ipſo in limine, pede paululum repreſſo, ſuſpenſus hæſi; ita mihi animum repente percuſſit hoc multiforme ſpectaculum. Interea forte in parietem adverſum oculos conjicio. En vero ibi, in pomparum opprobrium, ſpeculum ingens obverſabatur; juvabat ibi non ſine tacito riſu Microcoſmum hunc lepidiſſimum contemplari, rerumque circum undique miris modis geſtarum quaſi compendium prælibare. Videbar mihi videre machinas quaſdam geſticulantes, frequentem popellum, mire officioſum, circumcurſitare, otiari, ridere, varioque demum luſu temere laſcivire. Ibi continuo hæc ego mecum "*quot capita, tot ineptiæ!*"

Jam nunc in Scenam progredior, non equidem Hiſtrio, nam quod agam nihil eſt; ſed muta Dramatis perſona, ſive ſpectator otioſus. Hui! quid hoc eſt tumulti atque ornati? quæ tanta celebritas & magnificentia,

ficentia, &c, qualem alibi frustra quæsieris, ex omni quaquaversum *Britanniâ* congestus nugarum splendor? —— Singula circumspicio insidiante vigil oculo, ille ego, quem nosti, elegans formarum spectator. Juvat modo Bellulos inter Bellulasque commorari, confabulantibus assistere: Vah! quàm sibi placent omnes, arrident, plauduntque, felices errore suo! O beatos lepores, facilesque sine mènte facetias! *proh! quanta species cerebrum non habet!*

Ergo ad alteram partem transeo; verùm ibi quoque occurrunt iidem, & eædem; diversa quidem, sed & eadem ineptiarum facies. Et sane quicquid ubivis spectabatur, aut audiebatur, fœminei erat generis. Verum interdum subiit aliquid quod curiosus miretur hospes, ingeniorum perinde ac formarum concertatio, & æmulatio plane ridicula; — mille lenocinia, mille placendi artificia, — obliquum meditantis ictum ocelli mobilis petulantia, — retortæ cervicis composita jactatio, — delicata & fastidiosa mollities, — vultûs aut vestitûs laudati conscia dignatio, — importune faceta vociferatio, — & improba risûs male castigati protervia. En tibi puellarum, pene dixerim, Encyclopædiam, sive, prout nomine ficto appellaveris, *Coquettriam!* proh! quantæ est instar laudis tam splendide ineptire! —— at desideratur interim, quod vir bonus & sapiens laudaverit: una tot in millibus frustra quæritur *Æmilia.*

At isto certe in angulo, sicubi uspiam, sapientiæ cujusdam profundioris species reperitur. En adversâ

ſronte compoſitus capitum graviſſimorum quaternio! Reveremini, hoſpites, hunc Quatuorviratum, modo plane ſingulari philoſophantem! En in vultu moroſa quædam conſtantia & ſeveritas prorſus *Hiſpana*: circum undique alta quies & taciturnitas plane Pythagorea: in aure, in oculo, vigil animus excubat, ad omnia erectus, quoſlibet rerum caſus, viciſſitudines, momenta dinumerans penſitanſque: hinc magnanima & grande quiddam moliens Ambitio, periculorum ſecura, & ante victoriam triumphos præſumens; illinc cauta nimis & humi ſerpens Avaritia, opportunitatibus quibuſcunque inſidians, & quaſi furtim ad ſe trahens omnia & corradens; utrinque mira ſtudiorum contentio, & anxia futuri ſollicitudo. Profecto ſeria quædam res agitur! imo vero Drama quoddam tragicum mihi videor videre: en Hiſtrioniam exhibet Chironomia, diverſicoloris populi regumque fataque fortunaſque regens: non ſine artificii mirabilis laude celebratur hæc operoſa & involuta Fabula; brevis quidem illa, nec ultra tres Actus producenda, ſed negotiorum & viciſſitudinum plena; mobiles vero Scenæ pro re natâ variantur. Jam illico magis magiſque tumultuari Epiſodia, & ad rerum certamen anceps atque diſcrimen ultimum properare: hinc inde erigitur & caſtigatur expectatio; interea hanc tantam magna ſibi pollicentium, magna quoque metuentium trepidationem videt, & irridens ictu quodam improviſo machinationes eludit omnes *Hoylæo* major Fortuna. En aliquando ſubit

errorum

errorum αναγνωρισις, περιπετεια, καταςροφη. Jam tum rerum facies oritur, hui! quàm diversa? ubi nunc illa Philosophantium constantia, & severitas? en utrobique subita tumultuatio, & incontinentia quædam animorum! hinc cum clamore plaudunt victores; illinc sero sapiunt *Phryges*: hinc exultatio quædam & insolentia triumphi; illinc rixatio importuna, & male dissimulata indignatio, imo forsan & impiæ preces, & sibi & hosti pariter iratæ, &c.

Verum quid illa ex adversa parte meditatur frequens circumstantium, circumsedentium Corona, ore, oculis, animisque spectaculo cuidam volubili inhiantium? hinc inde loculi excutiuntur: aureis cumulantur aurei. Quis novus hicce Trapezitarum ordo? quid hoc est tumultuantis commercii? — Hic profecto, sicubi uspiam, O *Bathoniensium* Regina,

Te facimus, Fortuna, Deam: tibi ponimus aras,
O Fati lasciva soror: tibi nobile vulgus
Vota facit, contempta Deorum templa relinquens,
Præcipuoque tuum veneratur numen honore.
Invida nequicquam frendet sapientia Patrum
Dira minans, at tu victrix impune triumphas,
Mille novas artes & mille capessere formas
Callida, & emuncti rides edicta senatûs.
Quid si fatalis crepitanti jacta fritillo
Alea conticuit, nec hiantem blanda popellum

Sollicitat damnosa vocans ad præmia *Faro?* .
Scilicet unus abest: at non tibi deficit alter,
Et similes alia fallunt sub imagine ludi.
En ille ante omnes, qui rite volubile numen
Instabilemque rotam non vano nomine monstrat,
Rowley-Pouli tuus, magni pars magna triumphi!
Alternis discreta locis, discreta colore,
Lubrica planities aperitur margine summo
Leniter acclivis, media omnis & æquoris instar
Strata jacet, fluitante sinu, devexa, resurgens,
Perpetuo lapsu, velut unda supervenit undam.
Missilis orbiculus nunc alter, & alter, & alter
Prosiliens rapida peragit vertigine gyrum;
Hic tu præcipuè gaudes, Fortuna, jocari,
Alterno vultu mutabilis, alba vel atra,
Spemque, metumque regens, per aperti lubrica campi
Huc illuc gressu fallente volubilis erras,
Per cava, per convexa, per alba, per atra recurrens,
Mille domos lasciva petis, lasciva relinquis,
Suspendens dubio mentemque oculosque rotatu.

Hæc aliquandiu non sine risu quodam indignabundo miratus continuo ego mecum, "*profecto nos homun-*" "*ciones Fortuna quasi pilas habet!*" — Verum enim-vero

vero quid hoc eſt amabilis inſaniæ, quæ capita tot honeſta vertigine quadam ridicula corripit, circumagitque temere ſequacia ſphærulæ volubilis ludibria? Unde iſthoc omnium fere animis inſidens ludendi cacoethes inſanabile? vah! ſiccine juvat uſque nummos, otia, famamque luſu prorſus puerili diſperdere? — Hæ tibi ſunt artes, hæ deliciæ, hæc oblectamenta, O eleganter inepta, & damnoſe ingenioſa *Thermopolis!* digna quidem illa, quæ in *Britanniam* à gente nugaciſſimâ eâdem & inimiciſſimâ inveherentur, ab iſtâ malorum fere omnium blandiſſimâ opifice, *Galliâ:* imo digna itidem, quæ *Neronianus* ille deliciarum *Arbiter* ſtylo nequiter laſciviente deſcriberet *Petronius!* — O miram, & plane ſingularem, neque vero invidendam hujuſce loci felicitatem! ubi Omnes fere quaſi ex pacto & dedita opera, (valetudinis ſcilicet gratia) nec ſine aliqua ingenii laude ſedulo deſipiunt; adeo ut homini homo non ita multum præſtet, ſtulto intelligens! ubi plurimus ſine gaudio plauſus, ſine facetiis riſus, ſine tranquillitate otium, ſine fructu negotium, nec ſine periculis nugatio, & denique in maxima hominum frequentia ſolitudo maxima. — Sed aliquando tandem manum de tabula, — ne forte, quarum imaginem adumbrare cœpi, ad me quoque ineptiarum contagio pertigiſſe videatur.

P. S. Sed heus εὕρηκα! tandem inveni Virum; inſtar mille unum. Facile ſcias eum mihi placuiſſe quem acceperam teſtimonio commendatum tuo; Virum, inter

Bathonienſes

Bathonienses ſuos facile principem; quem undiquaque præſentem parietes ipſi medius fidius loquuntur: quem illuſtrat glorioſa natalium obſcuritas, fortunæ eundem & virtutis filium, τον αὐτοφυη, τον αὐτοδιδακτον, και αὐτοτελη· Virum, quem non ego ſane doctiſſimum, at certe omnium, quotquot fere uſpiam reperiuntur, *Literatiſſimum* appellare auſim, & ex commercio ſuo *literario* fructus pro merito ſuo uberrimos ſine invidia conſecutum.

Matronæ Ornatiſſimæ

CORNELIÆ ÆMILIÆ,

Hoſpitii memor benigniſſimi,

Virtutumque Singularium Admirator,

Ὁ Δεινα

Hoc benevolentiæ — & ευχαριϛιας μνημοσυνον

D. D.

ITA rure veſtro diſceſſi tanquam continuo reverſurus; animi oculorumque acie retortâ juvabat uſque domum amiciſſimam reviſere, ſingula relegere, & admirari, & hoſpitio priore frui; videbar mihi adhuc conviva menſæ aſſidere, aderam ambulationum comes, colloquiis interſui, ſive mitis illius ſapientiæ tacitus laudator, ſive etiam lætitiæ communis particeps, & adjutor. Et —

O carminum dulces notas
Quas ore pulchra melleo fundis,
Lyræque ſuccinis !

Hæc

Hæc adeo & illa diſcedenti animum demulſit imago; & profecto viarum tædia fefellit jucundiſſima conſuetudinis veſtræ recordatio. — At tu, inquam, Jupiter Hoſpitalis, hanc Domum Dominamque ſalvam uſque & incolumem tuere!

Interea lente feſtinanti alias ſubinde aliaſque cogitationes excuſſit caballus; & quidem uſque nova oculis occurrebant ſpectacula; ſed eadem cito neglecta & evanida tranſierunt; nam, ut, quod res eſt, fatear, ita mihi animus in præteritis hæſit, ut obvia quæque & præſentia minus curaret.

O quam mihi placeo, cogitatione recolens, ſi quid præter ſolitum amabile & laude dignum vidiſſe contigerit! Ego quid meditabar, rogas? — Quicquid illud erat, ſcias fuiſſe a laudibus haud alienum tuis; ita tamen, ut tu ſola omnium illud ultro neſcias. En ergo noſtram, quæ fœminis invidiam movere poterit, hiſtoriolam! integræ inſtar fabulæ, Epiſodiam!

Nuper in argo Hertfordienſi, haud procul ab Anglicani Proto-Martyris oppido, Domum quandam hoſpes non expectatus inviſi: ibi in Matronam incidi, haud certè, qualem hodie ubivis reperias, ſeria leviter, & levia ſerio meditantem; ſed compoſito decoram vultu, animique, qui cœlorum penetralia rimari poterit, obtutu defixam. Stipabant latus aliquot non infimi nominis ſcriptores, erat in manu præcipuus comes Horatius — Ego rei novitate commotus, & vix pauca quædam ritè præfatus, inopinantem illico aggredior —

Heus

Heus itane te habeo confitentem ream, in ipſo furto belliſſimo deprehenſam ? — At tu, Flacce, ſiccine tandem viſis Britannos hoſpitibus feros ? — Et quidem fæmineas inter Cathedras verſari gaudes ? — At ille vultu, quo ſolet, urbano ſubridens — En vero illud quod jam olim prædixi, non uſitatâ feror pennâ vates biformis : longinquas nempe regiones peragravi hoſpes non ignotus ; &, ex quo in Galliam tranſii, illud certe effecit gentis loquaciſſimæ officioſa ſedulitas, & opella, ut in omnium fere ora manuſque aliquanto notior venirem. Jam vero quidni Ego fæminas ridere & philoſophari doceam, ex quo inceperint viri ſedulo deſipere ? —— At enim, mi Flacce, vereor ne multa nimis docendo uxores nobis prorſus corrumpas, jam per ſe abundè ſapientes, & facundas — ne rei domeſticæ cura negligatur, & in contemptum illico abeamus literarum rudes & indocti conjuges. At tu iſtum, bone vir, dimitte metum, ſiquidem, qualis hæc noſtra eſt, contigerit Diſcipula. Qualem vero iſtam mihi prædicas ? — Singulare prorſus exemplum — *ω της φιλομαθιας ἁμα και πολυμαθιας* ! En illa dulces docta modos & citharæ ſciens ; at eadem mecum quid verum atque decens rogat & curat : amica muſis, nihilo ſegnius bonæ matris-familias obit munia, utriuſque Minervæ artes feliciter exercens, docta ſermones non unius linguæ, nullius ſibi laudem arrogat : decora quædam invigilat labellis, eloquii fræna moderans, taciturnitas. En quod in fæminâ, & quidem liberali,

maxime mireris, singularem & linguæ et animi continentiam, & præclaram quandam fortitudinem, quâ virtutes sedulò dissimulat suas! ab omnibus laudata surdescit illico, munitam opponens aurem, laudesque non agnoscit suas.—Hui! rem miram narras, fæminam quantivis pretii! dignam sane, quam carmine novo Horatiana celebret Musa. Tum continuo hæc Ego mecum. Beate Flacce, discipulam sortite talem, ingenio tali præditam! quid Chloen, quid Lydiam mihi prædicas? Jam steriles abite nugæ, et quicquid est fæminei generis molle et ineptulum vulgus! At tu unicè felix animi, Matrona, quæ, tui potens, intervalla negotiorum tam commode literato dispungis otio, tecum ausa versari et philosophari, in solitudine nequaquam sola! Ex hâc sapientiæ speculâ quâdam mecum una paulatim despice semiviros fæmineosque greges, quos aut strenua exercet inertia, aut ignobile consumit otium. Hui! quid isthoc est recentis elegantiæ, & deliciarum muliebrium, quod degener hæc ætas æmulante quodam studio prosequitur celebratque, quam inficetum prorsus et illiberale! Quin vide jam passim importune obstrepentes, circumcursitantes, ambitiosa vestium ornamenta fingentes, refingentes, animum oculosque inani Chartarum picturâ pascentes & macerantes, miserè nugis invigilantes, in multam lucem dormientes, officiose demum ineptientes, ut sui forte admirationem excitent, sui simillimis vel placituræ, vel invidendæ — quid hoc est aliud quam vitam continuo disperdere?

Effingent

Effingent aliæ ſpirantia mollius ora,
Pandoræque novos ducent e pyxide vultus,
Tu regere affectus animumque ornare memento;
Hæ tibi erunt artes!

Plura meditanti repentè metri curſum turbavit importuna caballi titubatio, & placidiſſima animi vigilantis ſomnia abrupit.

EPISTOLA ad Amicum *Oxonienſem*, ſive *COMMENTARIOLUS* THOMÆ [a] SECKER Archiep. Cantuar. Memoriæ ſacer.

DESINE jam ultra flagitationibus tuis ſolitos ingenii luxuriantis luſus provocare, aut alia neſcio quæ Ruſticantis *μελετηματα*, inania illa otii ignobilis oblectamenta, expectare. Eheu! iſthæc profecto omnia animo penitus excuſſit luctuoſus Archiepiſcopi Cantuarienſis interitus; omneſque adeo cogitationes in uno hoc obtutu defixas occupavit. Permulta illico mentem percuſſerunt meam; — mortalitatis veluti propius admotæ ſenſus acerbior; — Eccleſiæ laborantis orbitas; — literatorum, clientum, et bonorum omnium comploratio. Subit itidem conſuetudinis, quæ mihi cum illo interceſſit, recordatio; virtutumque, quarum etiam ad rempublicam fructus redundavit, deſiderium inexplebile. Et quidem ſentio mihi moleſtam quandam ſolicitudinem incuti ſive præterita recolenti, ſive etiam proſpicienti futura. Verum ex ipſa doloris cauſa juſtiſſima aliquam etiam ſolatii materiem

a Nat. in vico Sibthorpe prope Newark in Com. Nottingh. 1693. Ob. Lambethæ Aug. 3. 1768.

elici

elici posse video, dum res ab Illo gestæ animo obversantur; præclaræ illæ et magnificæ, quarum beneficia non ad præsens modo sæculum pertingere, sed etiam ad posteros derivanda esse, censeo.

Quidni itaque ego te ad honores supremos hosce, ad Parentalia persolvenda vocem, ad hæc sive luctus publici, sive gratulationis, officia, ad supplicationes, et, quales ad Martyrum primævorum sepulchra celebrari solebant, pietatis Christianæ triumphos?

Te præcipue in curarum consortium voco, quippe mecum una eodem pariter usum et Amico et Patrono.

Rogas interim quæ mea sint super hac re *μελετηματα*? En illa tibi *αυτοσχεδιαστικα* potius quam elaborata, & pro pietatis privatæ officio, potius quam pro materiæ dignitate, expressa.

Me quidem juvat in præterita ætatis spatia redire, & amicitiæ, cum illo jam ultra quadraginta quatuor retro annos initæ, memoriam recordari ultimam: quo tempore in Academiam Oxoniensem adscriptus, a rei Medicæ studiis, quibus apud Leidenses [a] inclaruerat, ad Theologica se transtulit, inde usque repetens video illum inter primos sui ordinis atque loci, inter Dunelmenses suos, Theologum ingenii & eruditionis fama, & gratia insuper & honoribus, florentem. [b] —— Eo

a Theses de Medicina Statica publicavit Lugd. Bat. Anno 1721. Eodem Anno in Coll. Exon. admiss. & propter merita a Cancellario commendatus, A. B. creatur. Febr. 23. 172$\frac{3}{4}$ creatus est A. M. et Anno 1733. LL. D.

b Gul. Talbot Episcopo Dunelm. a Sacris domesticis. Eccles. Cathed. Præbendar. &c.

quippe

quippe animo ad rem literariam accessit, ut Encyclopædiam universam amplecti vellet, φιλομαθης ων ἁμα και πολυμαθης, ingenio versatili ita instructus, ut, in quamcunque partem se converteret, illam omnem satis exploratam haberet et perspectam. Inerat certe in illo magna vis animi, incredibilis patientia, & indefessa sedulitas; in veritate investiganda singularis quædam αγχινοια, in sententiis expendendis acumen vere criticum; in iisdem castigandis mira animi continentia & moderatio, qualis hominem liberalem et vere Christianum decebat; in controversiis sine offensione partium arbiter potius quam litigator, non tam ad doctorum hominum judicia, quam ad Sacræ Scripturæ auctoritatem, provocabat; in his explicandis applicandisque præcipue versabatur; denique quicquid scientiarum animo conceperat, quod certe latissime patuit, id omne in partes suas Theologiæ famulans adhibebat.

In literaturæ vero Hebraicæ studiis utplurimum elaborabat: in hac materie recondita et difficili operam navabat nec instrenuam nec infructuosam. Quæcunque adeo ad textum S. S. originalem elucidandum afferri poterant, subsidia sedulo conquisivit: Criticorum hominum varias interpretationes, animadversiones, & quicquid hac in parte usui foret, delectu habito congessit, recensuit, castigavit, & επιχμιον insuper suam adjecit. Proh! quantum eruditionis hujusce reconditæ thesaurum ipsis Bibliorum πολυγλωττων marginibus, quæ illi fere semper in manu erant, confertim inscrip-

tum

tum vidimus! Illud denique industria sua effecit, ut in hoc laudis genere inter Criticorum principes accenseretur; neque prius quidquam potiusve haberent operum Hebraicorum Editores,[a] quam ut illo uterentur auctore & adjutore, qui opes suas literarias perinde ac nummarias in reipublicæ usus libenter impenderet: Notitias profecto hujusmodi nemo habuit magis in promptu, aut magis expeditas.

Hæc in genere de facultate Theologica dicta sunto. Non est itaque quod miretur quispiam virum, tali indole atque ingenio præditum, in reipublicæ lucem & celebritatem fuisse evocatum[b], omnium votis designatum, utpote dignissimum, qui Rectoriam Sancti Jacobi Westmonaster.[c] provinciam, dignitatis quadam specie eminentem, sed cum invidia & difficultate conjunctam, administraret; illum præcipue virum nominis honesti, scientia Theologica instructissimum, rerum usu exercitatum; qui Parœcianorum negotiis non interesset modo, sed etiam præesset, singula dirigeret consilio, moderaretur auctoritate. Quæ porro ibi in longo administrationum decursu præclara præstiterit non opus recensere; quippe notiora, quam quæ nostra commemoratione egeant, majora vero, quam quæ præconio nostro ornari possint. Adhuc profecto manent laudum tantarum vestigia hominum judiciis atque sensibus impressa.

a Vide cl. Jac. Merrick Annot. ad Psalmos.
b Jul. 1732. Regiæ Majestati a Sacris.
c 1733.

Adeste

Adeſte animis quotquot hac in urbe regia Parœciarum curam geritis: admiremini, Londinenſes, ſingulare hoc Diligentiæ, Moderationis, Solertiæ, & Sanctitatis exemplar! exemplar, in officiis Sacerdotalibus obeundis, ſi quid aliud, hiſce certe temporibus conſummatiſſimum, quale vobis aut documento fuerit aut opprobrio!

Meminiſtin' Comitia Oxonienſia publice celebrata A.D. 1733? Ecquid ibi Noſter ille, noviſſime LL.D. creatus? Imo vero id ipſum præſtitit, quod Academiæ fuit honori & Sibi. Audivimus illum inter Doctores diſputantem[a] tam prompte & ſubtiliter, ut ex hac levi præluſione ſeu velitatione intelligeremus, quid in certamine ſtatario efficere poſſet. Audivimus in frequentiſſimo Academicorum conventu ita concionantem[b], ut Eloquentia in Roſtris nunquam magis triumphare videretur, quam in Academicæ diſciplinæ laudibus prædicandis.

De facultate vero illius Oratoria quid ego porro dicam? Singulari ſane illa, & ad populi cordatioris captum, potius quam Criticorum hominum aures faſtidioſas, accommodata! Utut vero hæc ſint, eſt profecto quod & Reipublicæ & Eccleſiæ gratulemur, hunc oratorem noſtrum & fama & gratia tantum valuiſſe, ut in eo ipſo, quo prodeſſe unice ſtuduit, ſuis etiam placuerit.

Eccum vero! —Quid meditatur ille Ordinum omnium ad Eccleſiam, veluti ad Theatrum, concurſus?

a In Theatro, Comitiorum die.
b Die Dominica, in Templo B. M. V.

Quid

Quid illa ſtipatiſſima frequentia, & cum æmulatione quadam ſubſelliorum præoccupatio? Quid illa omnium arrecta expectatio? Scilicet Orator noſter ille in roſtro prodit,

Nil mortale ſonans, opera vehemente miniſter,
Et vigiles oculos et corda ſequacia raptans.

Quanquam quid iſthoc erat eloquentiæ admirabilis, quod a pleriſque tam magnifice prædicatum accepimus? Non ſane in ſententiis δεινοτης Demoſthenica, non dictionis ardor ſplendorque, non ingenii exultantis luſus, non Rhetoricorum pigmenta, &, quæ aures delinire ſolet, periodi decurrentis clauſula numeroſa & canora; verum erat in ſententiis ακριβολογια plane Ariſtotelica, ſtylique penitus caſtigata luxuries: nihil operoſe elaboratum, nihil temere effuſum: pro re nata ſine fuco, ſine ornatu dictionis caſta ſimplicitas: quicquid illud erat — verbis inerat το πιϛον, & in popularium aures animoſque influebat mitis oratio: geſtus decori gratia, & in vultu placida ſeveritas, ſingula commendavit; imo & dictis quaſi fidem imperavit ipſa dicentis auctoritas. Quod erat Philoſophi & Theologi, ſatis habuit diſtincte, graviter, dicere; quod vero erat Rhetorum, ornate dicere, iſthoc Ille non tam neſcivit, quam ultro neglexit. Quid multis? Orator hic noſter ſine dicendi artificio veram eloquentiæ laudem conſecutus videbatur.

Magna ſane hæc ſunt; ſed aliud quiddam ſupereſt commemorandum, mea ſententia, laude dignum majori.

Quale vero id rogas? Prælectionum Catecheticarum Syſtema — "Hei vero!" (videor enim audire aliquem de Criticorum grege forte exclamantem) "Quod hoc "rei eſt? Siccine inter diſcipulorum cathedras ad ele- "menta prima adultos revocas? Nullus certe hac in "parte Oratori locus, nec ulla in re tam humili doc- "tis auribus digna afferri poſſit oratio." Itane tandem? Imo vero faſtidioſus ille, quod a Paulo ſimili in cauſa Corinthiis, id ipſum ſibi reſponſum putet. Ex eo hominis Chriſtiani tum docentis tum audientis officia intelligat. Neque tam aurium lenocinia quærat *λογȣς πειθȣς σοφιας ανθρωπινης*, quam documenta illa *τα δυναμενα σοφισαι εις σωτηριαν*. Quanquam quid id eſt, quod diſciplinam hanc Catecheticam quiſpiam ut puerilem & ineptam contemnat? Videat modo Catechiſmum hunc noſtrum: in compendiario illo Syſtemate quid aliud videt, quam ipſam Religionis Chriſtianæ medullam? Materies profecto præclarior nulla reperitur, in qua Theologi ingenium atque induſtria exercitari poſſit; hæc curarum prima eadem atque ultima; in hac potiſſimum noſter ille verſabatur magna cum laude ſua, ſuorumque fructu. Etenim Encyclopædiam Chriſtianam univerſam intellectu penitus conceperat. Erat porro tum animi facultate, tum exercitatione diuturna, apprime *διδακτικος*: & quidem docentis indoli atque ingenio congruebat ipſa materiæ ratio, quæ deſiderabat non tam Oratoris facundiam, quam docti Interpretis fidem; & materiem viciſſim commendavit Catechiſtæ noſtri Oratio ſimplex, per-

ſpicua,

ſpicua, nervoſa, & audientium captui accommodata. Hac in parte omnes ingenii nervos intendiſſe videbatur; neque ſane fruſtra. Prælectionibus hiſce Catecheticis frequens Auditor, & quidem doctus, interfuit; atque ita, ut etiam inde doctior diſcederet. Dictio temperata & flexanima in hominum ſenſus & judicia mire influebat; ita ut exercitationes haſce Catecheticas etiam gratia popularis comitaretur. Qui Reipublicæ & Religionis Chriſtianæ incremento bene cupio, idem cupio ut Catechetica hæc diſciplina neque gratia neque honore careat, ſed frequentior uſque atque acceptior in Eccleſia celebretur: utque adeo Sacerdos quilibet Parœcialis non ſatis habeat in roſtris triumphare Concionator celeberrimus, ſed gaudeat potius hoc Catechiſtæ officio ſuo, ſtudioſus ſacræ paginæ Interpres, ſive dogmata proponens explicanſque, ſive pietatis præcepta animis inſinuans vel inculcans, eadem opera lac infantibus, ſimul & adultis cibos firmiores, adminiſtrans. Hæc vera erit Theologi Chriſtiani laus, populari omni plauſu longe præſtantior. Quantum hac in parte effici potuerit, noſter Ille exemplo ſuo commonſtravit, quod ipſum & poſteri aliquando agnoſcent, quum Syſtema hoc Catecheticum, quod operum Theologicorum palmarium eſſe deputo, publicos in uſus prodierit.—Hæc de ipſius Oratoria & Theologica facultate breviter dicta ſunto.

Age vero, eundem jam Epiſcopum vide, virtutumque laudem ſimul cum honoribus una ſuccreſcentem.

Briſtolienſes

Bristolienses [a] sicco pede prætereo, ad Oxonienses [b] nostros properans. Horum adeo gratulationes simul & desideria mecum una recognosce. —— Et profecto jure fortunas nostras laudavimus, illum Præsulem sortiti, quem Diœceses cæteræ haud immerito nobis inviderent, in republica literaria, perinde ac in Ecclesia, principem virum; qui nobis non modo præceptionum saluberrimarum, sed etiam exempli honestissimi, lumen prætulit, ipse Sacerdos Parœcialis: Nemo certe Clericalem, ut ita dicam, Encyclopædiam universam penitius animo perceptam habuit, nemo plenius & melius descripsit, aut audientium mentibus παθητικωτερως impressam reliquit. Testor ad Clerum illas Conciones Monitorias Synodales, quas Trieteride qualibet e cathedra pronuntiatas audivimus. Ex una, quæ in lucem prodiit, disce omnes. [c] Et Reipublicæ Ecclesiasticæ causa maxime vellem, ut Præceptionum Pastoralium Systema hoc perfectissimum in omnium oculos & corda veniat; non Oxoniensium modo, sed Cleri Anglicani universi, usibus inserviens; utpote ωφελιμον προς διδασκαλιαν, προς ελεγχον, προς επανορθωσιν, προς παιδειαν την εν δικαιοσυνη· ινα αρτιος η ὁ τȣ Θεȣ ανθρωπος, προς παν εργον αγαθον εξηρτισμενος.

a Jan. 19. 173 4/5. Episc. Bristol. constitut.

b Translat. ad Ep. Oxon. Maii 14. 1737.

c Monendus est Lector (jam tandem A. D. 1770.) prodiisse insuper quatuor alias hujusmodi Conciones habitas ad Clerum Oxon. — Tres ad Clerum Cantuar. — Monita quædam juniorum Theologorum usibus destinata. — Orationem Synodalem ad Clerum Provinciæ Cantuar. — Et, præter istas 23 Conciones quas Archiepiscopus ipse vivus adhuc ediderat, Conciones 64 quatuor voluminibus comprehensas.

Et profecto omni in parte ἀξίωμα Episcopale moribus, perinde ac eruditione, illustravit; in hac provincia administranda per annos plusquam viginti, Sanctitatis, Diligentiæ, Moderationis, Benignitatis, tanta cum laude versabatur, ut bonorum omnium votis & expectationi responderit, imo & Academicorum τῶν χαριεστέρων offensionibus sive fastidiis satisfecerit, & benefaciendo gratiam popularem Sibi & reverentiam conciliaverit. Ego quidem libenter in illa tempora redeo, quæ pristinæ necessitudinis tam publicæ quam privatæ memoriam revocant jucundissimam, simulque administrationum Episcopalium, quarum beneficia per Diœcesin longe lateque disseminata vidimus, redintegrant notitiam.

Cleri interim Oxoniensis quænam de Illo fuerint judicia, en testimonium honorificum! officiosum illud, quo de Provincia decedentem prosequebatur, commune desiderium.

Regis optimi de eo judicium quale fuerit, res ipsa declaravit. Illum adeo præ cæteris eminentem in Hierarchiæ sede altissima collocatum plaudentes venerabamur; hominem artibus imperatoriis instructissimum: qui in hisce castris nostris per tot annos strenue militaverat, & disciplinam omnem Ecclesiasticam tanta cum laude administraverat, facile intelliges eundem omnium votis fuisse designatum, utpote maxime idoneum, qui Provinciæ Cantuariensis [a] Præfecturam Metropoliticam administraret.

[a] Translat. ad Archiep. Cantuar. April. 1758.

Ecqua vero in parte ſpem noſtram fefellit? imo vero exſuperavit; ſine offenſione partium, ſine invidia, ſine ambitione, Eccleſiæ principatum adeptus, ſine arrogantia, cum dignitate vera ſuſtinuit; magni vir animi, & vere αρχικος, qui Politiam Eccleſiaſticam animo complectebatur, conſilio dirigebat, auctoritate tuebatur, exemplo ornabat; in negotiis impiger & indefeſſus, nihil a ſe alienum putabat quod ad Clericorum jura, mores, famamque pertinebat; auctoritate ita uſus, ut nihil pro libidine aut inſolentia imperii affectaret, ſed omnia ad οικοδομην communeſque Eccleſiæ utilitates referret; — ita fortunis uſus, ut quicquid εκ περιϛσιας accreverat, id omne non ad luxuriem aut ſplendorem, ſed ad neceſſitates pauperum ſublevandas & in commoda publica, erogaret. Lucelli perinde ac gloriolæ contemptor, bono communi ſtudebat unice. — Itaque Hetæriis quibuſcunque nominis honeſti, iis præcipue, quæ ad Religionem Chriſtianam ſive apud exteros propagandam ſive domi promovendam, aut rempublicam Clericalem ſpectabant, adſuit, præfuit; in primis Fautor & Patronus exemplo ſimul & eloquentia commendavit, munificentia locupletavit: nulla in re, in qua Reipublicæ prodeſſe potuit, laboris parcus aut pecuniæ, bene præcavit ne divitiæ ſibi oneri eſſent aut opprobrio. Sed interim magnificentiam hanc præclaram prudentiæ & moderationis laus comitabatur; cum ab eo nihil temere aut ad oſtentationem ſolam eſſet inſtitutum; tali Patrono placuiſſe non exigua erat meritorum commendatio. Judicii teſtimonium

nium munificentiæ pretium arrogavit. Vide in collato beneficio quanta ſit gloria, cum in accepto tanta fuerit laus.

Quæ autem hac in parte præclara fecerit, ſingula recenſere perlongum ſane foret, ſed nec ingratum: at, cum meminerim me non Hiſtoriam ſed Epiſtolam ſcribere, inhibeo manum; ſatis habens ad capita nonnulla in genere, quorum explicatio uſuſque ad poſteros pertinebit, quaſi ex intervallo digitos intendiſſe: — mecum itaque per hæc ſumma laudum compendia ad ſpatia ampliora progredere.

Quid itaque prius potiuſve commemorandum habeo, quam incredibilem illam in vitæ totius curſu conſtantiam & æquabilitatem? Si cui uſpiam homini ad amuſſim præſcriptam bene vivendi rationes omnes fuerint compoſitæ, hæc profecto Illi præ cæteris debetur laus. Etenim de die in diem idem uſque morum tenor colorque, idem curarum & ſtudiorum ordo, nulla conſiliorum diſcrepantia aut inconſtantia; ſed omnia Illi methodo certa erant ordinata, & ad finem certum deſignata: itaque Illi in negotiis quibuſcunque obeundis mira facilitas, & ſine tumultu & trepidatione ſtrenua expeditio.

Superioribus ſæculis majores noſtri αξιομνημονευτα quælibet, quæ quoque die aut facere aut pati contigerat, in commentariolos breviter notata referre ſolebant. Laudabile ſane inſtitutum! quod homines neque ſui neque reipublicæ immemores eſſe ſinit. Hac in parte Archiepiſcopus noſter neque Sibi neque Suis defuit,

ſed

ſed rerum a Se tum geſtarum, tum gerendarum, capita compendiaria ſubnotavit; Ipſe Sui monitor, forſan & virtutum invitus præco. Ridebunt fortaſſe Aulici recentiores hujuſmodi conſuetudinem obſoletam, quam quidem ipſorum mores non patiuntur. Quotuſquiſque enim eorum diarium hujuſmodi conficere auſit? aut in vitam, tanquam in ſpeculum, inſpiciens, objecta ſibi vitiorum opprobria non pertimeſcat? Opus hoc erat Eo unice dignum, cui cujuſlibet diei rationes ſtabiles & intaminatæ conſtabant; qui priori vita ita frui poterat, ut cum gaudio proſpiceret futuram.

Sæpe mecum una admirari ſoles ſingularem illam indolis lenitatem & moderationem, quæ in moribus, perinde ac ſcriptis, conſpiciebatur. — At vero id ipſum impenſius admiraberis, cum intellexeris laudem hanc Ipſum Sibi merito ſuo ſingulari peperiſſe. Cum enim a natura indoles Illi eſſet præfervida, & ingenii vivida vis, & acris & juvenilis ardor, & offenſionum ſenſus irritabilis, vir prudens rerumque gnarus & decori conſcius, mutato jam vitæ colore, probe intellexit quam arduum Sibi νεοφυτῳ ονἱι certamen erat ineundum. Itaque miles Chriſtianus Ipſe Sibi ultro bellum indixit, affectus refrænavit omnes, & diſciplinæ ſeverioris normam Sibi præſtituit inviolabilem. Nemo demum, magis ſui potens, animo fortius imperavit ſuo; id agens ſedulo ut omni in re το πρεπον tueretur, nec quidquam in Se admitteret viro ſapiente bonoque, aut nomine Clerico, indignum. Hanc animi continentiam & fortitudinem vere Chriſtianam jure admiror prædico-

dicoque; victoriam, ingenii luxuriantis triumphis omnibus longe potiorem. Profecto causas præjudicare aut in partium alterutrarum favorem propendere, animi est impotentis aut iniqui: at vero omnia examinare & perpendere, & ex utraque parte judicia moderari, Hoc est veræ fortitudinis & prudentiæ, Hoc virtutis opus. Vide adeo disciplinæ salubris, quam Ipse Sibi præceperat, fructum; illam nempe, quam admiramur, judicii moderationem. Nihil igitur ab Illo temere aut intemperanter effusum, nihil illiberaliter dictum factumve; sed omnia ex æquo pensitata, & lenitatis temperamento quodam præmunita & commendata. Non est itaque quod quisquam ingenii hebetioris Illum, & in deliberando tardiorem, arbitretur. Erat profecto Illi in perceptionibus mira celeritas & comprehensio, & acumen vere criticum; non fastidiosum illud & irritabile, sed liberale & ingenuum, & candore miro temperatum; ita ut ipsius dissensio, aut etiam censura, in adversantium offensiones invidiamque minus incurreret.

Dicendi genere plerumque utebatur haud quidem contentioso: sed disputanti non deerat subtilitas scholastica; parcius autem eam adhibuit, quum maluerit populariter, potius quam Philosophice, disserere, & omnia non tam ad ingenii sui ostentationem, quam ad audientium οικοδομην, referret.

Ab arrogantia tantum abfuit, ut etiam laudes sedulo dissimularet suas: adeo non ingenii aut eruditionis famam affectans, aut superbiam sumens quæsitam

 meritis

meritis, ut ultro detrectaret; de dignitate descendens sua, et popularibus fastidiis, potius quam invidiæ, Se submittens.

Munificentiam[a] quoque suam, qua potuit, dissimulavit; non magna loqui voluit, sed facere; prodesse maluit, quam conspici.

Ut tacito lapsu nocturni guttula roris
Recreat effœti morituram graminis herbam,

Illius beneficentia clanculum, et quasi cœlitus delapsa, hominum necessitatibus se insinuavit, sine teste, sine præconio, fastuque omni Pharisaico. Ὁ Πατηρ ὁ βλεπων εν τῳ κρυπτῳ αποδωσει εν τῳ φανερῳ.

Quin vide porro in ipso collocationis delectu modoque non tantum bonitatis sed & miram providentiæ laudem: nihil ab Eo inconsiderate, pro libidine aut fastidio, sed omnia in usus honestos, σπουδαιως, et cum consilio maturoque animi deliberantis judicio, constituta. — Cum itaque Bibliothecæ Lambethanæ, quam in omni genere instructissimam esse oportuit, inopiam

a Constat ex indubiis monumentis Eum, singulis annis, post expensas Translationis ejus ad Sedem Cantuar. peractas, ultra 2000 libras *sterling*. in actibus privatæ beneficentiæ annuatim, de suo, erogâsse: speciatim contulit fere libras 600. ad Capellam de *Stockwell* in Parœc. Lambeth. extruendam & ornandam.

Ex Testamento, præter donationes privatæ charitatis, legavit 11,000 libras, piis usibus publicis destinatas.

Scil. Societati de Propaganda Fide Christianâ ——	2000 £.
Aliis Societatibus religiosis & Ptochotrophis Londin. —	4500.
Aliis alibi Ptochotrophiis —— ——	2500.
Ad reficiendas Ædes Parœciales pauperioris Cleri in Diœces. Cant. — — — — —	2000.

perspiceret,

perſpiceret, inde adeo quod fere per centum retro annos vix ulla acceſſerat locupletatio, et proinde librorum recentiorum penuria eſſet, et in ſcriniis hiatus plane indecorus; hæc Ille vidit eo animo, ut, qua poſſet, omni ope defectus hoſce ſuppleret. Quamobrem librariæ ſupellectilis non modo domeſticæ, ſed etiam exteris in regionibus, ſumptu curaque non levi conquiſitæ, quicquid erat rarius aut pretioſius congeſtum, huc tranſtulit, *κτημα ες αει*, perenne monumentum tum honori ſuo, tum poſterorum uſibus, conſecratum.

Quocunque te converteris, jure admiraberis magnitudinem illam animi univerſa fere cogitatione & benevolentia complectentis, omnique in re bono conſulentis publico.

Huc ſtudia ſua contulit omnia: in hoc curriculo laudis uſque verſatus, rempublicam tum Literariam tum Eccleſiaſticam, in utraque princeps vir, promovit, auxit, ornavit, conſilio, patrocinio, exemplo. — Cum itaque, pro ſolertia rerumque uſu diuturno, penitus perſpiceret quid potiſſimum in omni parte deſideraretur, pro auctoritate curavit, ne qua in re idonea præſidia aut ſubſidia deeſſent: profecto omnia circumſpiciens præcavenſque fideliter Eccleſiæ rebus invigilabat, haud inani titulo Metropolitanus. Proinde ſi forte aut Pontificiorum calumniæ, aut Schiſmaticorum aut rebus novis ſtudentium obtrectationes, in vulgus paſſim jactarentur, non Sibi Suiſque defuit, ſed propugnatorem Se objecit, ſuiſque auſpiciis & ſub ſignis ſuis militantium ope vicaria uſus, Eccleſiæ Anglicanæ

 Politiam

Politiam temperate ſimul & ſtrenue vindicabat: ita ut Illi immota conſtarent ſtabilitatis ſuæ fundamenta, neque interim Laicis invidiam provocarent dignitatis ornamenta. Literatus Ipſe, & Literatorum Fautor, conſilio ſimul & exemplo ingenia excitavit, munificentia fovit; conſulens non modo ne quid detrimenti caperet reſpublica literaria, ſed ut cum incolumitate aliquod etiam famæ & dignitatis lumen accederet. Denique in quantum illius valebat gratia & auctoritas, vidimus Illum inter Literatos ſtudiorum ducem eundem εργοδιωκτην και μισθοδοτην.

Quid interim in Academiâ? cujus res communi quodam cognationis vinculo cum Eccleſiæ rebus conjunctæ videntur. Nihil certe horum a Se prorſus alienum putavit; ſed in quantum intelligi poteſt animus Partium nullarum ſtudio addictus, ſed commodi publici unice ſtudioſus, in tantum laudabitur illius benevolentia, quæ in univerſum ſe effudit, præſens omnes conſilio, quoſdam etiam munificentia, adjuvare; id ipſum denique, quod Academiæ eſt vitale, curans promovenſque, Literarum nempe, & Religionis, Morumque bonorum, culturam. Hanc diſciplinam qui tuetur inviolatam atque florentem, Illum ego non modo nomine tenus, ſed re ipſa, Fautorem veſtrum atque Patronum cenſeo.—Ecquem igitur (libet enim, quoniam in hanc materiem incidi, id quod ſentio eloqui) ecquem, inquam, Academici adſciſcere potuerant Patronum illo homine potiorem?—qui, Eccleſiaſticorum princeps, res Eccleſiaſticas tanta cum laude admi-

adminiſtravit, idem in Republica Literaria vir princeps, literas atque literatos coluit uſque fovitque, atque etiam exemplo honeſtavit; cujus & fortuna & auctoritas id habuit, ut poſſet, benigna autem indoles ut vellet, utilitatibus publicis omni in cauſa inſervire.

Αλλα τιη τοι ταυτα ματην ανεμωλια βαζω;

Quid porro in re Theologica, cujus diſciplinam omnem Ille animo perceptam penitiſſime intellexit? Nullamne illius curam geſſit? imo vero et maximam: mea quidem ſententia, id curavit ſedulo, eo ipſo, quod, pro ea qua apud Regem valebat gratia, in Cathedra Profeſſoria Oxonienſi præſidere curavit Virum, de quo quid ſentiam, ad te ſcribens, parcius mihi dicendum eſſe video; ſed, quod res ipſa loquitur, nefas fuerit diſſimulare: Virum certe laboris patientem, Tutorem emeritum, longoque rerum uſu atque exercitatione διδακτικον, ita animatum, ut, quæ in inſtitutionibus Academicis ad officium Paſtorale ſpectantia deſiderabantur, ſupplere vellet, non nomine modo Profeſſor, ſed re ipſa Theologiæ Præceptor. Hunc Virum Archipræſul providus conſiliis & hortationibus excitatum, nec quidem invitum, perpulit, ut opus ab Academicis diu deſideratum (quod Ego[a] jam antea ſpe frigida ſterilique voto conceperam) ultro aggredi vellet. Is adeo præceptionum Theologicarum ſeriem ordinatam inſtituit, non ſermone aut more Scholaſtico ad erudi-

[a] Vide Append. ad Samuel.

tionis

tionis reconditæ oſtentationem, ſed vernaculo, & populari, & Catechetico, ad Juventutis Academicæ captum uſuſque accommodatam: materiem Theologicam univerſam εν συνοψει deſcriptam exhibuit; ſupellectilem omnem ſeriatim explicavit; οικοδεσποτης εκβαλλων εκ των θησαυρων τα καινα και τα παλαια· porro componendi, diſponendi, proponendi, exponendi, artificium, diverſi generis inſtrumenta uſuſque commonſtravit; id agens ut Theologus ille futurus non rudis prorſus & imperitus Roſtra invaderet, ſed prævia hac diſciplina imbutus atque formatus, uti miles armorum uſu & præluſione quadam exercitatus, e caſtris in aciem paratior & melioribus auſpiciis prodiret.

En id ipſum, quod in diſciplinæ Academicæ curriculo deſiderabatur maxime! Theologorum gentem futuram condere, Hic labor, hoc opus!

Quamobrem ab Academicis gratiæ debentur maximæ tum Illi, qui auctor conſilium hoc dedit, tum Illi, qui ultro præſtitit obſequium, præclara & aggreſſus & conſecutus.

Quin & Hominis magnanimitatem laudo, qui, Deriſorum faſtidia non veritus, diſcipulorum inter cathedras, veluti priſtino iterum ludo, includi Se pateretur: laudo etiam abſtinentiam artificis, qui Reipublicæ operam locat non venalem, ſed ſine dote, ſine mercede, gratuitam, merceſque ſuas pretioſas diſcipulis ſine pretio proponit; inſigni hoc documento clare ſignificans Se commoda publica privatis ſuis rationibus quibuſcunque anteponere.

Euge,

Euge, mi homo! (videor enim Professorem ipsum jam alloqui) Euge, inquam, perge quo cœpisti pede; scientiæ thesauros accumulare, accumulatos communicare velle, sit isthoc ambitionis tuæ crimen invidendum: pro mercede interim erit tacita bonorum omnium approbatio & recte factorum conscientia.

Videre jam videor Præsulem hunc nostrum in Cathedra sua Cantuariensi, velut in specula sublimi, tranquilla quadam solicitudine de summa rerum consulentem; singula circumspicientem, explorantem, dirigentem. Jure mireris hac in parte Hominis providentiam & perspicacitatem, ad remotissima quæque pervadentem; industriam in investigando acrem atque indefessam; in cognoscendo solertiam; in ignoscendo benignitatem; in toto demum administrationum decursu Pietatis simul & Prudentiæ laudem singularem.

Quam antea in Oxoniensi institerat, eandem jam in Diœcesi Cantuariensi sua ingrediebatur viam; dignatus pro more pristino Synodos celebrare; regionem non itineribus modo, sed etiam internuntiis, peragrare; &, quæcunque ad rem Clericam pertinebant, animadvertere, aut sciscitationibus exquirere; ministerio usus tum suo tum alieno; atque adeo curavit absens, præsens ut esset, singula passim exquireret, notaret, & tanquam in Fastos redigeret: ita Illi ex hac disquisitione notitiæ Parœcialis Systema conficiebatur plenissimum; & ex hoc Historia quædam Provincialis, cujus in Successorum manus ut thesauri desideratissimi aliquando hæreditas erat derivanda.

Quid

Quid vero dicam de illa, quæ latiſſime patebat, rerum Americanarum cura? Hac profecto in parte video Illum ſedulo elaborâſſe, neque quidquam fuiſſe prætermiſſum quod ad Religionem Chriſtianam tum propagandam tum promovendam aliquid momenti conferret. Teſtor indefeſſam ejus in [a] Hetæriarum, quibus præſidebat, officiis defungendis ſedulitatem: Teſtor acrem illius ſolertiam, ne quid detrimenti caperet ſincera Pietas, ſive ex Atheorum aſſultibus, ſive ex Pontificiorum fraudibus, aut ex Fanaticorum deliramentis: Teſtor porro ſolicitam ejus curam de idoneis verbi divini Miniſtris providendis, vigilemque ab Eo habitam de illorum vita, moribus, & diligentia, diſquiſitionem.

Intellexerat Vir ſagaciſſimus, Literarum monimentis edoctus, Epiſcopale Eccleſiarum regimen ab ipſis Chriſtianiſmi primordiis originem duxiſſe, Apoſtolicaque auctoritate fuiſſe comprobatum. Senſit illud cognatione quadam connexum eſſe cum Monarchia. Cum itaque ii inter Americanos, qui Fidem & Diſciplinam Eccleſiæ Anglicanæ eſſent amplexi, beneficia Epiſcopalium adminiſtrationum propius ad ſe, & intra domeſticos Provinciarum ſuarum limites, admoveri cuperent; quid mirum Archipræſulem noſtrum tam piis deſideriis annuiſſe? Ne qua interim Tyrannidis, neſcio cujus Papiſticæ, affectatæ ſuſpicio Diſſentientium tumultus excitaret, illud caverat [b], ut Politia hæc Ec-

a Soc. de Propagand. Relig. — & Soc. de Promovend. Relig.

b Legatur de hoc Inſtituto Epiſtola Ejus ad Hon. *Horat. Walpole* conſcript. A. D. 1750.

clesiastica desiderantibus et volentibus indulgeretur, non autem aliis invitis obtruderetur; utque potestas Episcopalis, intra fines administrationis mere Ecclesiasticæ inclusa et constricta, nullum invidiæ aut offensionis etiam apud iniquos et malevolos locum relinqueret. Hoccine itaque memorabile est aut credibile, contra hoc consilium tam lene, tam moderatum, tam utile, tantos invidiæ & contumeliarum fluctus potuisse concitari? Fremunt tamen illico & tumultuantur Dissentientium greges quidam irritabiles & pervicaces; iidem in Republica Cives seditiosi, in Ecclesia Principatum adepti, Tyranni intolerabiles. Iniqui homines & maligni! qui Libertatis, quam ipsi sibi arrogant effrænatam, jus aliis a se dissidentibus concedi nolunt!

Vana scilicet opinione conceperant Dissentientes *Seckerum*, qui mansuetudinis & lenitatis partes tuebatur, qui Tolerationis jura iis concessa sacra esse & inviolata semper contendisset, aliquando olim stabilitæ Ecclesiæ Anglicanæ Privilegia & Auctoritatem ipsis ultro proditurum fore, nec veniam ipsorum erroribus, sed laudem & præmia, ultro concessurum. Quid mirum homines pervicaces falsa spe deceptos ad convitia & ad speciosarum criminationum terriculamenta in vulgus jactanda se convertisse? Neque tamen Sibi Ipsi, aut Ecclesiæ Anglicanæ dignitati, defuit Archiepiscopus.[a] Vide adeo certamen impar plane & iniquum, temeritatis cum prudentia, furoris & pervicaciæ cum

[a] Respons. ad D. Mayhew.

moderatione & æquitate, malignitatis Puritanicæ cum charitate Chriſtiana! Sit illud aliis opprobrio, conſilium tam ſalutare fuiſſe fruſtra commendatum: Archipræſul noſter certe conſcientiæ ſuæ teſtimonium pulcherrimum reliquit, ſimul & ſuæ erga Eccleſiam atque Americanos benevolentiæ pignus pretioſum; laudabilis fautor inſtituti, atque illius adjutor atque auctor munificentiæ,[a] quæ olim in Hierarchiæ uſus eroganda aliquando etiam invitis profuerit.

Age vero, jam mecum redi ad Lambetham, virtutumque domeſticarum admirationem.

Χαιρ' ω μελαθρον οικιας φιλοξενȣ.

Ingredior — quam reverenter, tanquam in Templum! quam vero familiariter, tanquam in domum meam! — Mire animum commovet ipſe loci conſpectus: occurrunt antiquæ laudis & artis monumenta — ſpatiorum tum vaſtitas, tum magnificentia — liminis tum ſolitudo, tum etiam frequentia — otii & negotiorum juſta per intervalla viciſſitudo — idem de die in diem officiorum ordo revolubilis—ea demum omni in parte ευταξια και ευκοσμια, ut intra Collegii, potius quam Domus privatæ, parietes verſari videar. Et profecto quocunque paſſim oculos & cogitationes converto,

Multa Viri virtus animo multæque recurſat
Laudis honos.

a Legavit 1000 *l.* in hunc uſum Epiſcop. conſtituend.

Subit

Subit imprimis illa, quæ Virum principem maxime decebat, in consiliis omnibus Gravitas & Constantia, & mitis quædam Sapientia, Judiciorum temperans severitatem — illa in Suos Lenitas plane paterna — illa porro in Colloquiis, in Conviviis, in Congressibus quibuscunque, Urbanitatis, Liberalitatis, & Benevolentiæ gratia singularis — illa sine levitate Hilaritas tranquilla — sine fastu Severitas reverenda —— & quodcunque demum Patrisfamilias, aut propter bene merita, amorem, aut propter dignitatem, reverentiam, conciliare potuerit. — Quanquam quid ista domestica commemoro, quorum recordatio ipsa cum desideriis una renovat dolores?

At vero ipse mei prorsus immemor, & certe insignis beneficii immemor, arguerer, si non illam in Republica Literaria Judicis atque Censoris, quam mihi sæpe plurimum profuisse sentio, laudem recognoscerem prædicaremque: non enim ignoras me scripta mea fere omnia, illa præcipue quæ in lucem publicam erant producenda, Illius judicio sive approbanda sive castiganda permisisse; quæ quidem Ille dignabatur recensere, examinare, corrigere, pro consueta Humanitate sua benigne, pro Amicitia libere, pro Jure Critico acriter, & κατ' ακριβειαν. Si quid adeo occurreret in dictione acrius aut ardentius, siquid juveniliter exultans aut alioqui minus accuratum, siquid in sententiis minus explicatum aut definitum, siquid εκ περιουσιας και απροσδιονυσον — siquid invidiæ & offensionibus obnoxium

— id omne Cenſor ille fidelis tranſverſo calamo notavit, correxit, emendavit, & temperamento quodam adhibito mitigavit & præmunivit; ut in hominum oculos aureſque commendatior acceptiorque prodiret oratio. — Et profecto in toto Criticorum grege Scriptorum quorumlibet Cenſorem Caſtigatoremque tam idoneum aliunde fruſtra quæſieris; eundem ingenio tam acri & perſpicaci, ut nihil non animadvertere potuerit; indole interim tam liberali & benigna, ut voluerit curas & labores alienos ultro ad ſe transferre, aliena curare, emendare, ornare; quod quidem noſter Ille præclare præſtitit, eadem opera & rei Literariæ incremento ſimul & Amicorum famæ proſpiciens. Scias adeo Aliorum ſcripta permulta, quæ ad poſteros aliquando devenerint, Archiepiſcopi adjutoris memoriam ſecum una trahere ſuæ comitem laudis.

Jure mireris talis tantique Viri patientiam & ſolertiam in alienis corrigendis limandiſque verſatam. Ego certe hoc nomine me Illi plurimum debere fateor, neque ſatis pro merito prædicare poſſum inſigne illud erga me Benevolentiæ teſtimonium, quæ ſe toties ultro noſtris immiſcuit curis, effecitque ut mea mihi magis placerent. Hoc profiteor de me reipſa ſæpe expertus: & profecto, ſiquidem omnino ulla res aliquem Superbiæ aut Arrogantiæ ſenſum animo meo afflare potuerit, en id ipſum, de quo gloriari libet: nempe me Illo fuiſſe uſum ſtudiorum Duce, Adjutore, Patrono! Quidni ego Terentiana hæc ad me transferam, a re mea certe haud aliena?

Nam

Nam quod iſti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adjutare aſſidueque una ſcribere,
Quod illi maledictum vehemens eſſe exiſtimant,
Eam laudem hic ducit maximam, quum illis placet
Qui vobis univerſis & populo placent.

Itaque opis hujuſce Cenſoriæ, quam Ille ſedulo diſſimulavit, fructum lubens recognoſco: tum in aliis pleriſque, tum præſertim in illa ad Samuelem noſtrum Appendice, de qua Lectorem monitum velim, ut ea, quæ ibi diſputata repererit ad diſciplinam Academicam & officium Paſtorale ſpectantia, ita intelligat, ut Archiepiſcopi conſilio aliquatenus præſcripta, & judicio comprobata. Atque hæc ideo a me commemorantur, tum ut dictis aliqua Auctoritatis commendatio accedat, tum ut in tranſcurſu ad illam Præceptionum Theologicarum Inſtitutionem recentem digitos intendam, quam video cum Profeſſoris noſtri laudibus eſſe conjunctam.

Sed nec illud prætereundum reor, in quo quidem cernitur vera animi magnitudo, Cleri inferioris, cujus miniſterio utplurimum res Eccleſiaſtica tranſigitur, curam plane paternam. Ad humiliora hæc deſcendens adeo nihil de dignitate remiſit ſua, ut etiam amplius quiddam laudibus addiderit. Cupiit quidem Ille, quoad temporum iniquitas patiebatur, omnia in ordinem priſtinum revocari: aliquid adeo Sibi hac in parte elaborandum eſſe cenſuit: proinde, ſicut ſupra monuimus, curavit abſens præſens ut eſſet; vigil e

longinquo

longinquo ſpeculator & explorator adminiſtrationibus fere omnibus interfuit, admonens, increpans, adhortans, remunerans, conſiliis, auctoritate, munificentia: præſens providere ut Paſtores gregibus pabula præberent idonea, infirmos atque pauperes opibus adjuvare, induſtriam reſuſcitare, præmiis accendere, de Eccleſia bene meritos ad altiora promovere; providere demum ne qua in re per Cleri incuriam vel pervicaciam aliquid detrimenti caperet res Eccleſiaſtica, Hæ illi erant imperii artes, Hæc ſtudia. Hæc ad extremum uſque animo inſidebat cura. Quali denique affectu omnia pietatis & humanitatis officia coluit & colenda commendavit, cætera ſi defuiſſent argumenta, ſupremæ Tabulæ teſtantur, *& mortuus adhuc loquitur.*

Jure mireris Unius animum tot tantiſque laboribus tam longe lateque disjunctis ſuffeciſſe: idem vero ſimul admiraberis ſingularem, quam Ipſe ſibi in adminiſtrationibus omnibus præſtituerat, diſciplinam; quæ effecit ut ſingula prævíſa & explorata, & ordine certo diſpoſita, magis in promptu occurrerent, facilius in uſus proprios accommodanda.

Itaque Ille unus in univerſis tanta cum laude ſua & Reipublicæ fructu verſabatur. Vide adeo in negotiis tranſigendis Methodus quantum valeat, atque in eo ipſo ſummam Archiepiſcopi prudentiam & ſolertiam recognoſce. Quid multis? in provincia omni quæſtor fidelis, in commercio ſuo Eccleſiaſtico diſpenſator providus, ita ſemper ſe geſſit ως ὑπευθυνον οντα, rationis coram Deo & hominibus aliquando reddendæ memorem.

rem. Proinde depositum adeo non prodidit, ut usque conservaverit inviolatum: rem fidei commissam adeo non per ignaviam neglexit, aut per luxuriem dissipavit, ut etiam reddiderit auctiorem, ut sine fraude Talentum insuper Talento accumulaverit, a Deo meritorum judice supremo diligentiæ & probitatis testimonium honorificum simul & mercedem amplissimam reportaturus. Ευ αγαθε δουλε πιστε, πιστος ης επ' ολιγα, καταστησω σε επι πολλα· εισελθε εις την χαραν του Κυριου σου.

Profecto indignabundus miraberis virtutum tantarum obtrectatores ullos extitisse. Sed non est dissimulandum in castris nostris Ecclesiasticis, perinde ac militaribus, gregarios quosdam existere, qui, cum militiæ suæ graviora negotia detrectent, per ignaviam vel proterviam contra Imperatorem seditionibus grassantur; in illum unice criminationes omnes rejiciunt, dicta factaque omnia in sinistram partem rapiunt; rati scilicet in tantum infamiæ suæ excusationem accedere, quantum de illius virtutibus detraxerint. Istiusmodi hominum offensiones provocare & contemnere non minima est fortitudinis commendatio: sunt hæc opprobria laudi.

Quid porro? nullosne egregio hoc in corpore nævos conspicis, & omnino nihil quod reprehendere possis? Immo vero quiddam singulare, & forsan id ipsum quod plerique laudant potius & admirantur; nimiam scilicet facilitatem illam & επιεικειαν. Equidem in Magistratu potius pertinaciam quandam imperii & arrogantiam requiro: & sane sic existimo, Siquidem Ille in

Republica

Republica ſimul & Eccleſia princeps vir, dignitatis ſuæ conſcientia fretus, plus auctoritatis Sibi arrogaſſet, minuſque de jure ſuo temporibus conceſſiſſet, fuiſſe multo melius Bono communi conſultum: Siquidem, inquam, Ille Eccleſiaſticorum Princeps, Bonique adeo ſimul omnes, pro ea qua valent auctoritate & gratia, ſub Regis pientiſſimi auſpiciis, ſeſe palam & aperte Religionis contemptæ & violatæ ſtrenuos vindices & ſatellites objeciſſent, non jam amplius per omnium fere hominum ordines impune graſſaretur illa Impietatis Bellua Centiceps, ſed repreſſa ſenſim audacia, impetuque fracto, profligata ſuccumberet. Turpitudinis enim inſitæ Impietas omnis notam gerit impreſſam, & vitiorum conſcientiam neſcio quæ Timiditas comes premit, veritatis adverſæ lucem refugiens: quod ipſum arguit illa Simulatio ſive Diſſimulatio prætenſa. Omnes itaque, qui Religioni bene cupiunt, veluti claſſicum canens, hortor, ut animoſius, omni ope ſtudioque, ingruenti malo oppugnatores ſe objiciant: Hoc ſi eſſet, certe exularet illa Reipublicæ peſtis teterrima, ſua legibus conſtaret auctoritas, pietati honos, ordini Eccleſiaſtico reverentia; neque Americanis forſan deeſſet Hierarchia. Me quidem fateor ſapientiam illam abnormem & obſoletam tueri, quæ unice recta progrediens via deflectere & temporibus ſervire neſcit; atque adeo nihil quod deſiderari ſentio, diſſimulandum puto. Interim animo ancipitem quandam curam injici video, dum aliud fortitudo Chriſtianá ſuadet, aliud prudentia Civilis. Si cui vero minus culpabile videatur

tur illud quod notavi, integra nobis & ſalva res eſt: Sin ſecus, quæ dixi omnia, ita intelligi velim, ut ſiquid minus laudabile videatur, id non Hominis conſilio aut voluntati, ſed Temporum iniquitati aut neceſſitati cuidam Politicæ tribuatur. —— Hæc autem εν τῃ παροδῳ.

Sentio equidem hac in cauſa dicenti copiam non deeſſe, ſed modum potius in dicendo teneri oportere. Sed antequam manum de tabula penitus ſubtraham, ſingulare quiddam occurrere ſentio, neque temere prætereundum neque commemorandum; nempe frequens illud officiorum, tum Sacerdotalium tum Archiepiſcopalium, cum Majeſtate Regia commercium. Vide quam multæ res, eæque momenti graviſſimi, genere, loco, temporibuſque disjunctæ, in unum quaſi coierint, unius & ejuſdem hominis auſpiciis & miniſterio tranſigendæ: ita providente Deo, ut, quæ GEORGIUM Infantem per lavacrum Regenerationis Chriſto conſecraverat,[a] eadem manus Regem jam inauguratum, Diademate cæteriſque regiis inſignibus ornatum, Eccleſiæ & Reipublicæ Bono conſecraret,[b] — utque eadem porro Conjugii fœdere inviolabili conjunctum CHARLOTTÆ ſuæ dedicaret,[c] ſobolemque deinceps regiam regeſque futuros[d] Baptiſmate Deo ſimiliter conſecraret! En adminiſtrationum, qualem anteceſſorum nulli hactenus unquam contigiſſe novimus, honorem plane invidendum! En ſimul fe-

a A. D. 1738, b 1761. c 1761. d 1762.

licitatis, tum Domesticæ, tum Publicæ, in hoc uno capite historiam compendiariam!

Jam tandem videor una cum Illo in curriculi quasi extrema spatia devenire. En spectaculum Deo dignum! virum bonum cum doloribus fortiter conflictantem, & de fati terroribus triumphantem, in vitæ exitu perinde ac decursu admirabilem! Videor assidere, alloqui, philosophari, Christianæ fortitudinis & patientiæ documenta haurire: cerno circumstantium sedulitatem officiosam aut sollicitudinem taciturnam, Illarum præcipue, quas Ille semper merito charissimas habuit,

Αι μεν ετι ζωον γοον Εκτορα ᾧ ενι οικῳ.

Cerno demum omnia trepidatione & mœrore concussa, præter Ipsius animum: Illum vero in his rerum asperitatibus ad extremum usque, inter corporis exesi cruciatus acerbissimos, tranquillum & sibi constantem. — O crudelia Amicorum vota, quæ vitæ, non jam vitalis, diuturnitatem pollicebantur! Illi profecto, qui satis Naturæ, satis etiam Gloriæ, vixerat, nihil fere ad felicitatis cumulum desiderabatur præter *ευθανασιαν*: Hanc rite comprecati non tam querimur ereptam illi vitam, quam immortalitatem donatam gratulamur.

Vereor sane ne, si, quæ *ανθρωποπαθως* sentio, singula commemorem, in mollitiem plane muliebrem deflueret oratio. Itaque missa faciens hæc domestica & quidem leviora, ad ea potius, quæ ad rem communem pertinent, transeo; & tanquam publica voce gratula-

tionem

tionem hanc justissimam recognosco prædicoque, nempe in Republica & Ecclesia talem tantumque virum aliquando extitisse, utriusque singulare decus & præsidium.

Equidem de me cogitans, quoties recolo fuisse me Amicorum, & quoque familiarium, ejus numero adscriptum, toties id ipsum video, quod mihi summo & honori fuerat & felicitati. Et hunc saltem longævitatis meæ fructum cepi, quod superstes adhuc & incolumis jam quasi in funere ad tumulum Laudator prodeam, idem ego qui adfuerim in longo vitæ decursu per tot annos virtutum testis & admirator: atque adeo hoc nomine λογων επιταφιων editori me trado, inter scriptores suos corrigendum atque emendandum.

Postremo Reipublicæ causa cupio, ut vigeat usque & celebretur honorata exempli tam laudabilis memoria, posteris etiam profutura. Ego quidem hac in causa, quod potui, sedulo effeci; atque adeo hoc tum privatæ pietatis & amicitiæ, tum etiam publicæ venerationis & observantiæ, testimonium libenter consignavi. Quod superest, veniam dabis ambitioni meæ (vanæ forsan, certe non inhonestæ) quæ nihil majus potiusve petit, quam ut in laudum tantarum comitatu hæc amicitiæ nostræ recordatio conservetur; utque monumentum hoc qualecunque, quod Archiepiscopi Cantuariensis honori consecratum vides, sibi una inscriptum gerat nomen

JOHANNIS BURTON.

Etonæ,
Kal. Octob. 1768.

LECTORI S.

NON dubito fore plerosque, qui leviores ingenii juvenescentis lusus libentius excipient, quam operosiora illa & elaborata, quæ meditatio severa extuderat: juxta Horatianum illud,

Discit enim citius, meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat & veneratur.

Illorum itaque desideriis ut aliquâ ex parte satisfaciam, pauca quædam in hoc scriptionis genere prolusionum exempla prodire patior, quæ cupio, ut tibi placeant legenti, perinde ac olim mihi placuerant scribenti. Profecto Epistolas scribentium pro familiaritatis jure Stylus ipse licentiam quandam sibi indulgeri postulat. Scilicet in hujusmodi commercio familiari liberior se effundit spiritus; & dum sibi unice suisque placere properat, orationis ornatum, & Criticorum fastidia minus curat. Hæc adeo levia & innocue ludicra Lector benignus facile condonabit, & fortasse non invitus arripiet descripta, quæ ad se suosque transferri posse viderit.

Me quidem antiqua hæc recoquentem haud piget in præterita retro-actæ ætatis spatia redire, & ea præcipue, quæ Amicorum, quos usque merito charissimos habui, memoriam revocant; cum nihil potius vellem, quam ut extare possit, tum erga Viventes benevolentiæ, tum erga Mortuos pietatis meæ testimonium.

THO. HAYTER[a] ab Academiâ discedentem, & jam tum *Lancelot. Eborac.* Archiep. a secretis designatum, G. GREENWAY[b] & J. B. Hungerfordiam usque comitantur in itinere: deinde digressum hâc valedictoriâ Epistolâ compellat J.B. 1724.

O Quali refugus circum præcordia sanguis
Subsiliit motu, cum te complexus euntem
Supremumque affatus adhæsi, multa tumenti
Corde premens, & te super, O charissime Thoma,
Nescio quid meditans quod Gaudia sive Dolorem
Excutiens variâ delusit imagine sensus.
Quid vero interea, quid credis, Amice, precantem
Compressis agitasse labris? "Dii te mihi servent
Incolumem, memoremque Tui, memoremque Sodalis!
Qui pius auriculis hoc instillare videtur,
"Cautius ut velles blandæ te credere sorti."

a O Μακαριτης Episcop. Londin. In Republicâ, in Ecclesiâ, tantâ cum laude versatus, ut nostro non egeat præconio.

b De quo vide Epist. ad *Ed. Bentham.* p. 183.

— O Ego

—O Ego quàm metuo Fortunam dona ferentem !
Et quodcunque mihi te ſurripit, invidus odi !
Ah mihi credula mens ! quidquid timet affore, fingit.
Si bene te novi, ſcio lene potentis Amici
Quid valet imperium, Patruique arrecta voluntas,
Et plauſura ſuper crudeli Mater honore.

Sis, precor, felix, ubicunque vivis !
Blanda quo te Sors vocat, i ſecundo
Omine ; et Noſtrî memorem tabellis
Sculpe querelam.

Hæc ego dum tacitus meditor, Tuus ille Meuſque
Chlorodius paribus reſpondens pectore curis
Haud tenuit vocem, ſed, ut olim, ſolvere miris
Ora diſerta modis, atque omnia magna ſonare,
Πολλα θ' ὑπερ φιλιας και Εταιρȣ απιχομενοιο,
Οια περ ȣδ' ο Πλατων μεγαληγορος, ȣδ' Ιοαννης
Νορριστος διελεξε Πλατωνιζων εν ερωτι,
Ουδ' ὁ Φλακκος επευξατ' εȣ περι Βιργιλιοιο.

Pergimus interea dicenda tacenda locuti
Milliaque impranſi tria repimus : inde latentem
Venimus Inkpennam—ſed honos erit huic quoque Pago :
Namque ibi ſe nobis infert πολυωνυμος Αννη
Ομματι μειδιοωντι, και ἁδυ τι εψιθυριστεν·

Εν

Εν μεγαροισι φιλευσα γλυκεια τις εζετο Πειθω
Χειλεσιν αμφιχυθεισα, ποθον δε σευ εκβαλε θυμου.
Φιλομειδες ὑγρον ομμα,
Ελεφαντινον τραχηλον,
Απαλοχροον τε χειλος,
Ῥοδοειδες, οια Πειθους,
Τινι σοι τροπῳ γραφοιμι;
Hic felix mihi plaudo: frui juvat uſque benignæ
Hoſpitis alloquio, & placido ſuper omnia vultu:
Et jam menſa dapes irritamenta palati
Explicat opportuna: O quam placare juvabat
Innocuo luxu queruli jejunia ventris,
Et cyathis haurire oblivia longa laborum!
Δαινυμεθ', ουδε τι θυμος εδευετο δαιτος εισης·
Nam nec riſus abeſt, dum raucâ voce facetus
Sacrificus pagi, totus teres atque rotundus,
Rogerus lepide fabellas garrit aniles,
Antiquoſque jocos, intra Collegia natos,
Incolumi gravitate refert pinguique Minerva.
Ah! quid opus chartis? — quas ſolus tangere neſcit
Chlorodius? quis ei cernenti talia ſenſus?
Poſthabuit tamen Illarum ſua ſeria ludo.
Illum ibi cum magno riſuque jocoque videres

Sollicite

Sollicite pictis super impallescere chartis;
Et loculos, ubi successum Dea dira negavit,
Tractantem trepidante manu fugientia retro
Æra sequi.—Quid multa?— supremo fine laborum,
Omnia, quæ dudum metuit præsaga mali mens,
In risum vertit gaudens Fortuna jocari:
Namque bonus, miserans non digna ferentis amici,
Rogerus loculi deflendum supplet hiatum,
Instaurare animos cupiens vimque addere victo.
Dulcia jam tristi succedunt otia ludo,
Molliter exhaustos risu fallente labores
Inter vina jocosque & lætæ seria mentis.
Inde facetarum post tot discrimina rerum
Linquimus aversum solem: reducesque deinceps
Excipit Oxonium, finis chartæque viæque.
Sic tibi, Χαγφοριδων ω εν κρεσι κυδος αριστον,
Describens iter omne loquaciter, ut meus est mos,
Quidquid nugarum mens concipit, illino chartis
Proludens, patiorque vel inconsultus haberi.
Est tibi nota tui sententia Dia Maronis:
" Aude, Hospes, contemnere opes, et te quoque dignum
"Finge Deo." Hæc recolens memor esto monentis amici

J. B.

Equi δραπετευοντος ad Magiſtrum J. JONES[a].

Epiſtola Apologetica 1724.

QUAM præſens domino mallem donare ſalutem,
Montibus a patriis mitto fidelis equus.
Dum tu cum ſocio fumas fumante camino,
Meque ſuper memori plurima corde premis;
Longe ego Devoniæ prærupta per ardua terræ,
Injuſſam pelago devius erro viam.
Peccavi; tamen uſque licet deſiderer abſens,
Non ego te linquam tranfuga ſervus herum.
Ne tamen amiſſus præconis voce requirar,
Et vulgi fiam fabula, pauca volo
Dicere; præfatus veniam (ſed nec meus hic eſt
Sermo, ſed qualem Carolus[b] ille tuus

a Coll. Bal. Soc. Vir elegantis ingenii; Poetices artiumque cognatarum feliciter ſtudioſus. Oppiani Αλιευτικα in Rythmum Anglicanum Metaphraſi pulcherrimâ donavit.

b *Carolus Godwin*, Coll. Bal. Soc. Vir eruditione multiplicì & quidem reconditâ imprimis clarus. Verecundiâ interim quâdam ineluctabili; quæ ſcientiarum, quas ille hauſerat uberrimas, reipublicæ literariæ fructum invidit. Per annos ibi quadraginta Tutoris optimi το αξιωμα adimplevit,

propter

Auribus instillans præcepit) Et O mihi cura
Siqua tui fuerit, sit tibi cura mei!
Singula commendes Domini fidissime testis,
Dixit, ut in risum desinat ira brevis.
O here, siqua fides, vivo valeoque beatus
Errore, atque novâ mobilitate vigens.
Mox reducem cernes bene curatâ cute pinguem,
Et nitidum & solitâ cum gravitate levem;
Cætera dissimulem Domino fortasse — sed hoc te
Scire velim cautus quam mihi favit Eques;
Non latus indigno violavit vulnere calcar,
Castigansve pigram verberis ira moram.
Ah! mihi ne teneras rupes secet aspera plantas,
Sæpius ipse pedes triste levavit iter,
Sollicitus metuensque mihi ne forte tumentes
Defluus in calces humor obesus eat.
Quam juvat & prodest peregrina per arva vagari,
Sit mihi ab exemplo fas didicisse tuo.

propter morum severitatem venerabilis, propter indolis suavitatem amabilis. Singulari munificentiæ exemplo, Academiæ Oxoniensi supellectilis tum librariæ tum numismaticæ, quæ utraque in suo genere erat pretiosissima, hæreditatem legavit. Juvat hoc honore supremo virum amicissimum prosequi, & cenotaphio quodam Virtutum memoriam posteris commendare. Diem obiit supremum 1770, & in Ecclesiâ Paroch. de Wolvercott sepultus jacet.

Jejunus

Jejunus miſere vidi Portlandica Saxa:
    Ah! miſer huc quiſquis mittitur exul equus!
Longum iter exhauſi: nam quæ ſub ſole cadente
    Non noſtri regio plena laboris erat!
Nunc me Devon habet: placet hæc *κϱανανη πεϱ εϰσα*:
    Ah! juvat in patrio luxuriare ſolo.
Herboſos colles ſubjectaque prata retorto
    Invidus aſpicio lumine, ſæpe morans.
Iſca viæ jam finis adeſt; ibi ſiſtere detur,
    Hayteroque tuo dicere ſæpe, Vale!
Me vero quo fræna trahunt retrahuntque ſecutum,
    Quæ ſors cunque manet, non tamen ulla dies
Arguet immemorem Domini: teque oro viciſſim
    Da veniam, utque ſoles, ſis memor uſque mei,
Si forſan poſt funus erit mihi poſthuma vita,
    Quam tu ſeu Pictor, ſive Poeta dabis.
Interea ut notâ claudatur Epiſtola formâ
    Reſto tibi fidus ſervus ad uſque necem.

In Comitiis 1733.

Veræ Magnificentiæ Laus.

O Diva, magni prodiga ſpiritûs
Deſcende, feſto te celebrat die,
Tuoſque Patronos recenſens,
Commemorat Rhedycina laudes.
Te Pompa fulgens, te ſequitur comes
Tollens ſuperbum Gloria verticem,
Te vidit, atque abdit recedens
Pauperies caput obſoletum.
Quo Tu per hortos cunque feras pedem
Impreſſa tellus prole viget novâ,
Exoticas mirata plantas,
Atque Aſiam propius virentem.
Seu Tu per urbes tramite lucido
Incedis, urbes ſplendidius nitent,
Ædeſque Muſarum, ac Deorum
Templa novo decorata ſaxo.

Radcliviensem Tu potes aream,
Tu Matris almæ turrigerum caput
Attollere: hoc Sheldonus amplum,
Diva, Tibi posuit Theatrum.
Disrupta turpi mœnia vidimus
Pendere hiatu; Tu simul aureum
Vultum extulisti, Carolinæ
Jussa ferens, properare saxa,
Pulchræque formam sumere Porticûs.
Non Illa vano nomine Regiæ
Patrona sedis, non Philippæ
Immemor, Illa domûs avitæ
Decus reponit munificè pia;
Dixitque tandem; surgite, mœnia,
Urbesque felix inter omnes
Splendidior Rhedycina surgat.
Sed fausta doctis fata nepotibus
Hac lege dico, ne male publicos
Privata sumptus æmuletur
Vita gravi ruitura luxu.
Indignus hospes cur Monachus domos
Reliquerit, si barbaries nova,
Gallique cultus inquinarint
Pollicitam meliora Pubem.

Haud talis olim Pontificum minas,
Haud talis ausus Schismatici gregis
Retorsit, aut hastâ Juelli
Nobilis, Hookeriique scuto;
Sed literato pulvere sordida,
Incompta pubes & docilis pati
Cultus severos, & modesto
Magna gerens animo futuris
Legenda sæclis. Divitis ingenî
Laus invidendam pauperiem tulit,
Et prisca Mortales, Deosque
Demeruit Pietas faventes.

Nummus Hiſtoricus.

QUÆ cura Patrum, quæve Academiæ,
Dignum paternâ laude Georgium
Æternet? At non vatis audax
Ingenium, Hiſtoricique faſti
Nomen tuentur ſoſpes ab invidâ
Oblivione. Heu perfida Principis
Fruſtra celebrati caducam
Charta trahet peritura laudem.
Sed dedicato rite Numiſmate
Sculptum, Georgi, tempus in ultimum
Te fama clarabit, volentes
Per Populos dare jura lætum.
Et Te nitentem plenius aureo
Vultu decoram, Te titulus ſacer
Laudabit inſcriptus beatam
Perpetuo Carolina ſæclo,
Omenque verax, Hæc Patria, Hic Amor,
Legent nepotes; Anglia te ſuam
Agnoſcet, agnoſcet Patronæ
Religio ſtabilita laudes.

Miratus

Miratus hæc compendia Gloriæ
Pompam Columnæ ſprevit inutilem
Trajanus, & famam fideli
Credidit, effigiemque Nummo.
Pleroſque fortes Roma tulit duces
Parthis timendos: Hiſtoricus frequens
Stylo triumphavit; ſed omnes
Longa dies ſine laude merſit.
Donec ſepultum reſtituit decus
Suo reponens ore ſuperſtites
Vallantus, & miram retexit
Sculptilis hiſtoriam metalli.
Impreſſa jam veſtigia cernimus
Victoriarum; fulget adhuc honos;
Adhuc triumphatis ſuperbit
Roma ferox dare jura Parthis.
Ars mira! Quo te carmine conſecrem,
Æternitatem non meritis mori
Donare præſens, atque honores
Præteriti revocare ſæcli!
Felix laborum, qui Tenebris dare
Lucem peritus, Temporis invidi
Sarcit ruinas, & vetuſtæ
Elicit Hiſtoriam monetæ!

Macte O Spanheimî! Postera te manent
Priora doctum sæcla recludere,
Suæque famæ restitutus
Te comitem trahet omnis Heros.
Vulgus profanum ducat amor malus
Currentis Auri: Tecum ego splendide
Avarus hos Nummos in arcâ
Conspiciens mihi jure plaudo.
His usque curis invigilem libens,
Non indecoro pulvere sordidus;
Nec ære mutem literato
Divitias pretiosiores.

Hortus Botanicus.

O LITERATO nobilis otio,
Flores & herbas inter amabili
Gaudens recessu! Quis recenti
Auspicio Tibi Danbyanos
Ditavit hortos? O vegetabilis
Regina mundi, sume superbiam,
Versuque votivo Sherardi
Pande memor, Rhedycina, laudes.

Hunc vidit olim Smyrna reconditas
Antiquitates quærere ſedulum:
Sigeia tam docti laboris
Uſque gerent monumenta famam.

Seu per locorum devia ſedulus
Erravit hoſpes, noſcere callidus
Quaſcunque Phryx hinc inde plantas
Sole videt meliore natas;

Vel quot per agros latè Aſiaticos
Naſcuntur herbæ; floribus e ſuis
Ipſi invidendam Tourneforto
Impoſuit capiti coronam,

Donare præſens vel brevibus roſis
Vitam perennem; ſiccus ubi viret
Et floret hortus, jam nec imbres,
Nec metuens hyemes iniquas.

Felix Alumno tali Academia!
Felix Patrono! ſic Aſiæ tuos
Florent in uſus horti, & omnes
Omnis alit tibi terra plantas.

Quin Tu viciſſim prome reconditas
Benigna gazas; eſt animus tibi
Contemptor auri, publicorum
Et decorum pretioſus emptor.

Jam

Jam verſa pulchras terra ſubit vices;
Pulſum recedit vulgus edulium
Venale plantarum; Gigantes
Jam trepidant propiore fato;

Et larga voti Muſa Colonias
Exoticarum ſurgere conſpicit
Plantarum, & omnes Elthamenſis
Divitias tibi ſpondet horti.

Peruvianum Diva Salus agrum
Relinquet, his ſe ſedibus inſerens,
Fluetque, Galeno jubente,
E medicis Panacæa ſuccis.

Couleius alter divitias ſoli,
Decuſque Leydæ cedere neſcium,
Plantaſque laudet rariores
Chelſeïis minus invidentes.

Non illa noſtræ conveniunt lyræ;
Dignus Sherardo Dillenius ſuo
Hæc ille ſolers explicabit
Hiſtoriâ melior pedeſtri.

Vernonus Triumphans.

JAM nunc triumphos rite tumentibus
Ornate velis, ſumite gloriam,
O Nautæ, et Hiſpanis timendos
Auribus ingeminate plauſus.
Antehac per obſeſſum mare devio
Mercator Anglus tramite Cantabrum
Vitavit hoſtem, vel retentas
Flevit opes ſpoliatus exul.
Ergon' inultus (proh pudor) ingemet
Aures reciſas? Ergo Britannicas
Impune prædator carinas
Diripiet ſine clade victor?
At O tonantis filia, cæruli
Regina mundi, prome recondita
Ultricis iræ tela, longe
Occiduis metuenda terris.

En!

En! jam minifter fulminis impiger
Vernonus, Euri lene fonantibus
Invectus alis, jura vindex
Afferit Angliaci Tridentis.
Repente pulfum cedere Cantabrum,
Contracta retro tendere carbafa,
Fugâque fidentem remotos
Claffe citâ reparare portus,
Fruftra remotos; Ilicet advolans
Mirum negatâ tentat iter viâ,
Ille, auctor haud vanus minarum,
Impavidus per acuta belli;
Multo vibrati fulminis impetu
Disjecit arces arcibus additas:
Turrefque captas *Porto-bello*
Angliacis rutilare fignis
Mirata vidit. Tuque, Hofierie,
Jam non inulto funere concidis;
Has victor iratis tuorum
Manibus inferias rependit.
Et jam propinquâ clade perhorruit
Labens retorto Chagria flumine;

Quin

Quin Ipſa Carthago recentis
Contremuit ſonitu ruinæ.
Dixitque tandem Baſſius, Heu malè
Martis Britanni diſſimulo metum :
Nec ſaxa, nec fluctus, nec ignes
Magnanimos remorantur auſus.
Hiſpaniæ jam non Ego nuntios
Mittam ſuperbos : Tu mea concidis,
Carthago ; fruſtra Anglis et arma
Objicis, ignivomaſque turres.
Nil Anglicæ non efficient manus ;
Agetque noſtris cladibus altior
Impune Vernonus triumphos
Fluctivagi dominator orbis.

In Honorem

Musices & D. Cæciliæ.

DUM tuos et Cæciliæ magistræ
Musa solennes celebrat triumphos,
Musice, festum graviore plectro
Præcipe cantum;
Non loquax olim neque grata; sed nunc
Spiritum vocemque dedit canoram
Ingenî felix et in omne Virgo
Nobilis ævum.
" Surge, quæ dixit, nova vis sonorum
" Cælitum cognata choris"—vocanti
Æolus servit, melos omne spirans
Omnibus auris.
Macte Tu divina Melodiarum
Artifex Virgo! Tibi plena laudum,
Plena centenis animata plaudunt
Organa linguis,

Omnium

Omnium complexa modos ſonorum,
Et Fides, unaque Lyram, Tubamque, et
Tibiam, atque uno Melos univerſum
Ore triumphans.

* Acris hinc arguta, loquax acuto
Tinniens ictu, penetrat medullas
Molliter, ceu virgineo medullas
Mulcet amore.

Surgit hinc Baſſus grave bellicoſo
Murmurans paſſu, tremulus laborat
Pecten, & concuſſa fremit profundo
Æthra fragore.

Arbiter litis Tenor hinc et inde
Dulce diſcordes numeros amicâ
Temperat ſuadâ, facilique junctos
Lege maritat.

En Fugam rurſus parat Acris Illa,
Ludit exultim, metuenſque tangi

* Vocis humanæ ſonus altiſſimus & acutiſſimus apud Muſicos Thuribilarius appellatur, Anglicè, *Treble*. Jure mecum una miraberis vocabuli hujuſce rationem, verùm rem ipſam mihi auribus atque oculis aliquando percepiſſe contigit. Cum enim in Flandriâ apud Pontificios Miſſam celebrantibus juxta altare aſſiſterem, vidi puerulos quoſdam, quales apud nos Choriſtæ vocantur, lineis albis indutos; Thuribulum geſtantes, & dum ritu planè Levitico altare purificabant, *Gloria Patri*, voce acutiſſimâ cantitantes. Inde adeo a Perſonis ad Tonum vocis denominatio transferebatur; Inde adeo Thuribilarius, Thurible, Treble.

Differit

Deſerit Baſſum, veluti protervum
Nympha maritum,
Qui laborantes operoſus artus
Pone provolvens ſimilis prementi
Imminet, jam jamque gravi coercet
Compede vinctam:
Cum Tenor, ſpirans ſocios amores,
Ingerit ſeſe medium, fluitque
Miſtus unà, miſta fluit ſonorum
Gratia triplex.
Omnis extemplo mihi mens in aurem
Avolat, gaudens ſibi ſurripi ſe,
Et choros inter Superûm ſonorâ
Veſcier aurâ.
Dulcium ſuadela potens ſonorum,
O potens quocunque velis ſequaces
Ducere affectus, ſine fraude Siren
Blanda placere,
Me mihi reddens ades O vocanti,
Leniens æſtus animi tumentis!
Ceſſit irati Tibi blandienti
Ardor [a] Eliſhæ:

a 2 Reg. 3. 15.

Recreat [a] Saulum lyra Davidæa:
Erigit lassum caput Ægritudo;
Ridet invitus Dolor, & Furorum
Turbo quiescit.

Suavis O vitæ Labor otiosæ,
O Quies jucunda laboriosæ,
Musice! Tu gaudia, Tu dolores
Rite serena.

a 1 Sam. 16. 23.

In Regiis prope *Richmondiam* Hortis Eremitæ Domicilium,—famæ monumentum alienæ ſimul et ſuæ, Regina CAROLINA poſuit 1729. Spectaculi novitate commotus et ſcribentium exemplo excitatus ſcripſit ὁ Δεινα Eccleſ. Anglic. Sacerdos Parœcialis.

Aude, Hoſpes,
Contemnere opes Pompamque
Regalis Aulæ!
In ſeceſſu hoc amabili
Pauliſper factus Eremita,
Splendide obſcurus,
In ſolitudine tali nequaquam ſolus.
Pauliſper ſapere aude inter hos magni nominis
Philoſophos quatuor,
Non tam Britanniæ quam literati orbis Cives,
Quos fecit ſuos Carolina!
Orbi gratulare literato
Extitiſſe tanta ingeniorum lumina!

Patriæ gratulare tuæ
Extitiſſe talem literatorum fautricem
Reginam!
Quanquam O!
Si quâdam parte erraverint
Veritatis indagatores tam acuti,
Imbecillitatis humanæ
Documento tam ſingulari admonitus
Precare,
Religioni ne noceat Philoſophia!

F I N I S.

Alia quædam Opuscula J. B. *Theologica Latina, seorsim edita.*

Heli: sive Exemplum Magistratûs intempestivâ Lenitate peccantis. *Concio Lat. eo animo conscripta, ut Academicæ Disciplinæ salubris Administratio strenuè exerceatur.* A. D. 1725.

Hophni et *Phinees*: sive Impietas Sacerdotum publicæ Impietatis causa.

Concio Lat. pro Gradu S.T.B. cum Appendice, de Vitiis quibusdam in Rerum Sacrarum Administratione tollendis. A. D. 1729.

Samuel triplici nomine laudatus, Propheta; Populi Israelitici Judex; Scholarum Propheticarum Rector.

Conciones duæ Latinæ, cum Additamentis, et Appendice de Studiis Theologiæ instituendis; quo quidem pertinent aliæ duæ Conciones seu Dissertationes. sc.

De Fundamentalibus Dissertatio Theologica. 1756.

De Praxeos Theologicæ Abusibus. Concio Lat. 1760.

Appendicis loco addi potest

Concio *Johannis Bear* de Primævorum Patrum auctoritate cum Præfatione Commendatoriâ *Johannis Burton.*

Two

Two Volumes of *Occasional Sermons* by Dr. *J. Burton.*

Printed at OXFORD 1764 and 1766.

Vol. I. Containing,

A General Preface on Preaching and Publishing Sermons.

General Fast, 1741. The Time of War a Special Call to Piety.

On the Martyrdom of K. Charles I. 1743. Principles of Christian Loyalty.

General Fast, 1744. The Folly and Wickedness of Misplacing our Trust.

General Fast, 1757. God's Call of the Jews to Repentance applied.

General Fast, 1762. Moral uses of Fasting considered and applied.

General Thanksgiving, 1746. The Expostulation, *&c.* of Samuel applied.

Inauguration, June 22. 1752. The Duty and Interest of a Christian Subject considered.

Inauguration, 3 Sermons. University-Politicks; or the Study of a Christian, Gentleman, Scholar.

Nov. 5. 1752. The Regulation of Zeal in Controversies of Religion.

Vol. II.

Vol. II. Containing,

Assize, 1746. Principles of Religion the only sufficient Restraint from Wickedness.

Meeting of Charity Schools in London, 1759. Religious Education of poor Children recommended.

Before the Sons of the Clergy in London, 1761. Zeal for our Constitution in Church and State recommended.

Before the Associates of Dr. Bray and Trustees of Georgia, 1732. The Duty and Reward of propagating Principles of Religion.

Before the University of Oxford, 1733. The Extensive Propagation of Abraham's Religion represented.

Inauguration, 1764. The Use and Necessity of Religion in Persons of High Stations.

Consecration of a Chapel.

Confirmation. God's Word the young Man's Guide.

Homily on Isa. 53. with a Preface on Homily-Preaching.

Dissertatio

Diſſertatio et Notæ Criticæ ſpectantes ad Tragœdias quaſdam Græcas editas in Πενταλογιᾳ. 1758.

The Genuineneſs of Lord *Clarendon*'s Hiſtory, &c. Vindicated. 1744.

The Preſent State of the Navigation of the River *Thames* conſidered, and certain Regulations propoſed. 1765. 4to. 2d Edit. with Appendix, 1767.



